

## **De Erasistrato capita selecta.**

### **Contributors**

Fuchs, Robert, 1868-1934.  
Augustus Long Health Sciences Library

### **Publication/Creation**

[1894]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/e4enq92u>

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Augustus C. Long Health Sciences Library at Columbia University and Columbia University Libraries/Information Services, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the the Augustus C. Long Health Sciences Library at Columbia University and Columbia University, where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

COLUMBIA LIBRARIES OFFSITE  
HEALTH SCIENCES STANDARD



HX64172422

R135 .F95

De Erasistrato capit

**RECAP**


Columbia University  
in the City of New York  
College of Physicians and Surgeons



Library



Digitized by the Internet Archive  
in 2010 with funding from  
Open Knowledge Commons



# HERMES

ZEITSCHRIFT FÜR CLASSISCHE PHILOLOGIE

HERAUSGEGBEN

VON

GEORG KAIBEL UND CARL ROBERT

NEUNUNDZWANZIGSTER BAND. ZWEITES HEFT.

BERLIN

WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG

1894.

Verlag der Weidmannschen Buchhandlung in Berlin.

# Lateinische Litteraturdenkmäler

des XV. und XVI. Jahrhunderts.

Herausgegeben von

Max Herrmann und Siegfried Szamatólski.

Bisher sind erschienen:

1. **Gulielmus Gnapheus, Acolastus.** Her. von Johannes Bolte. — 1,80 M.
2. **Eckius dedolatus.** Her. von Siegfried Szamatólski. — 1 M.
3. **Thomas Naogeorgus, Pammachius.** Her. von Johannes Bolte und Erich Schmidt. — 2,80 M.
4. **Philippus Melanchthon, Declamationes.** Ausgewählt und her. von Karl Hartfelder. — 1,80 M.
5. **Euricius Cordus, Epigrammata.** Her. von Karl Krause. — 2,80 M.
6. **Jacobus Wimpelingius, Stylpho.** Her. von Hugo Holstein. — 60 Pf.
7. **Deutsche Lyriker des 16. Jahrhunderts.** Ausgew. und her. von G. Ellinger. — 2,80 M.
8. **Xystus Betulius, Susanna.** Her. von J. Bolte. — 2,20 M.

In allen Kreisen der Gebildeten darf ohne jeden Zweifel ein Unternehmen auf den lebhaftesten Beifall rechnen, das endlich einmal die wertvollsten Erzeugnisse einer der glänzendsten Perioden der Weltlitteratur in systematisch vorgehender Erneuerung darbietet.

Humanismus und Reformation, die grossen modernen Bewegungen, um die gerade heute wieder die Kämpfe entbrannt sind, haben ihre interessantesten Denkmäler in lateinischer Sprache hinterlassen, so dass jede historische Diskussion dieser bedeutenden Zeitfragen die lateinischen Werke des XV. und XVI. Jahrhunderts berücksichtigen muss. Zu diesem kulturhistorischen gesellt sich das ästhetische Interesse, das die Werke der schönen Litteratur, zumal das lateinische Drama, beanspruchen können, denn in ihrer klassischen Form und Sprache erheben sich diese Denkmäler über die meisten gleichzeitigen Werke der einzelnen Idiome.

Durch die vielseitige Thätigkeit, die sich gegenwärtig auf dem Felde der lateinischen Litteratur dieser Zeit regt, ist es gelungen, die Mitwirkung der hervorragendsten Gelehrten des In- und Auslandes zu gewinnen; ihre Thätigkeit kommt besonders den Einleitungen zu gute, welche die Neuausgaben begleiten: diese liefern ausser den erforderlichen textkritischen und bibliographischen Angaben in erster Reihe eine litterarhistorische Charakteristik des Denkmals, in welcher für die einfache Biographie des Verfassers die Entwicklung des Werkes aus seinen biographischen und litterarischen Bedingungen eintritt.

## DE ERASISTRATO CAPITA SELECTA.

Quae nuper de Erasistrato scripsimus<sup>1)</sup>, quoniam ad finem perducere non licuit, nunc selectis capitibus recolemus et, si fieri potest, absolvemus. Cuius rei initium capimus a compositis medicamentis Erasistrati. Duorum enim medicaminum, quae adhuc exstant, prius illud est, quod *πάγχρηστος ὑγρά*<sup>2)</sup> vel *πάγχρηστος*<sup>3)</sup> vel *ὑγρά*<sup>4)</sup> vel *ὑγροκόλλούριον*<sup>5)</sup> vocabatur, I et II huius aetatis saeculo descriptum a Celso<sup>2)</sup> et Galeno<sup>3)</sup>, IV vel V ab Oribasio<sup>2)</sup>, VI ab Aetio Amideno<sup>2)</sup><sup>4)</sup>, VII a Paulo Aegineta<sup>3)</sup><sup>5)</sup>, X a Theophane Nonno<sup>3)</sup>, id quod, qua fuerit auctoritate, luce clarius indicat. At tamen verba ab ipso Erasistrato conscripta recuperare non licet, quare, quid ex omnibus locis congestis et comparatis lucremur, docebimus. Passiones, quibus Erasistratus ita medebatur, sunt hae: inflammations oculorum et nascentes et iam natae (*φλεγμονὴ ὁφθαλμῶν*), lippitudines scabrae (*ὁφθαλμία*), siccitas oculorum (*ξηροφθαλμία*), immobilitas oculorum (*συληροφθαλμία*), inflammations scabiosae (*ψωροφθαλμία*), sugillatio (*ἀπόσφαγμα*), tabes pupillae (*φθίσις τῆς κόρης*), inflationes palpebrarum (*βλέφαρα τραχέα*) vel,

1) Erasistratea quae in librorum memoria latent congesta enarrantur. Lips. 1892, diss. inaug. Berol.

2) Oribas. ed. Bussemakerus et Daremburgius V 136; Cels. de medic. VI 7 = ed. Daremb. p. 240, 37 sqq.; Aetii medici Graeci contract. medic. tetrabibl. II serm. III c. 99 per Ian. Cornarium, Lugd. 1549 p. 417 componas cum Aët. Amid. libr. medicinal. ed. Ald. Manut., Venetiis 1534, p. 141 B, 14 sqq.; 119 A, 26 sq.

3) Medicor. Graec. opera q. ext. cur. Car. Gottl. Kuehnii, Lips. 1821—33, 26 voll. in 28 partt. (infra K littera designabitur) XII 735; Paul. Aegin. libr. VII, Basil. 1538, p. 73, 27; Theophan. Nonn. epit. de curat. morbor. c. 49 = ed. Steph. Bernardus, Gothae et Amstel. 1794, tom. I p. 208 sqq.

4) Aët. Amid. ed. Ald. Manut., Venet. 1534, p. 126 A 18. 26; B 41; 134 A 22; 136 B 51; 137 A 6.

5) Paul. Aegin. libr. III c. 22 = ed. Basil. 1538 p. 73, 13 sqq. Obiter de hoc medicamento egimus in Fleckeiseni annal. 1892 p. 683 sq. *die plethora bei Erasistratos*.

ut paucis dicamus, omnes fere oculorum morbi (*όφθαλμία*), quae in naribus existunt (*τὰ ἐν τοῖς μυκτῆρσι*), quae in meatu auris nascuntur (*τὰ ἐν τῷ πόρῳ τοῦ ὀτούς*), sanies ulceraque aurium (*ῶτα πνοηροῦντα*), omnes fere passiones aurium (*ῶταλγία*), nomae oris (*τὰ ἐν τῷ στόματι, ἐν στόματι νομαῖ*), tonsillarum inflammations (*παροσθιμία*), uvae inflammations (*σταφυλαι*), angina (*συνάγχη* vel *κυνάγχη*), nomae in pudendis nascentes (*ἐν αἰδοίοις νομαῖ, αἰδοῖα ἡλκωμένα*), reliquarum, ut breviter scribamus, corporis partium ulcera nigra (*μελανίαι ἐπὶ τὰν ἔλκων*) et aegre cicatricem recipientia (*ἔλκη δυσεπούλωτα, οὐχ ὑγιαζόμενα*). Ratio autem componendi duplex est, altera vetustior, altera recentior, quarum hanc in illa interponemus:

*Sume aeris tosti = χαλκοῦ κεκαυμένου denarios II* (I Theoph. Nonn.), *murrhae = σμύρνης den. I* (III Theoph. Nonn. poster. in form., Aët. Amid., Paul. Aegin.), *cupri ferrive sulfurosi tosti = μίσυος ὄπτοῦ den. I* (III Nonn. in II form.), *piperis den. I* vel *πεπέρεως ὄβ. β'* (*πεπέρεως λευκοῦ κο. ιβ'* Theoph. Nonn. in II form.), *croci sesquidrachmam = χρόκον τριώβολον, vini Chii veteris austeri cochlearia III* (*κο. α' = heminam X unciarum* Theoph. Nonn. in II form.), *contere, tum admisce vini Cretici dulcis heminam* (apud alios  $\frac{1}{2}$  κο. vel cochlear. II), *coque in aereo vase ad tenuem ignem usque ad spissitudinem mellis et repone in aerea pyxide; Celsus<sup>2)</sup>*, cum uterere, mel et vinum addi iussit.

Alterum autem medicamentum, quod harum rerum periti omnes adhuc neglexerunt, exstat in ,Gynaeciorum sive de Mulierum Affectionibus Commentariis Graecorum, Latinorum, Barbarorum etc.<sup>4</sup> i. e. in Bauhini Gynaeciis<sup>6</sup>), ubi haec leguntur:

*Fortius pessarium ad tumorem et impetum vulvae, quod Erastistratus fecit, quo utebatur regina, et laudabatur magnifice. Ibid.<sup>7)</sup>*

\* alias fructice

*Papaver viride cum\* fructu suo sume, ut*

*superius diximus, tunsum in pila<sup>8)</sup> lignea, et*

\* alias sext. ij.

*exprime succum usq; ad\* sext. j. deinde adijcito*

*passi boni sext. j. et immitte etiam vinum, dein*

*excoque ad tertiam, et per linteum cola, et quod*

\* alias scrup. iij.

*humoris expresseris, repone: deinde tere galbani\**

*Θ. ij. hoc diligenter trito, adijce opii 5.j. hoc*

6) Basil. 1586, tom. I p. 59.

7) Ex Cleopatrae I et II libro Gynaeciorum.

8) *dila* ed. Spachii, Argent. 1597.

*iterum tere, et decoctioni adde, et iterum decoque, postque in sole tere, ubi siccando succi plurimum recipiat, donec ceroti fiat crassitudo. Cum autem uti volueris, ex eo cum oleo rosaceo distempera, et pessarium illine, et subijce, quia omnes impetus tollit, et cumulat, et somnium facit. Est enim optimum, quia ego expertus sum.*

Cetera perierunt. Sed iam his rebus expositis Erasistratum simplicia medicamenta ad homines sanandos adhibuisse<sup>9)</sup>, ignota autem respuisse<sup>10)</sup> apparebat, id quod dissertationis capitinis VIII medicaminum serie ostenditur et Dioscorides Pedanius<sup>10)</sup> exemplis fellis elephanti et crocodili, sanguinis et ovorum testudinis usus comprobavit. Papaver autem in *digitis deorum* — ita enim medicamina appellabat<sup>11)</sup> — quod mortiferum et visui noxiū habebat, non ponebat.<sup>12)</sup>

Erasistratum aetate maxime provecta arti dissecandi vacare coepisse in vita enarranda exposuimus<sup>13)</sup> eiusque de hac re scripta, *διαιρέσεων* libros II et *ἀνατομῶν* libros minimum II<sup>14)</sup> commemoravimus. Quorum frustula si nulla essent, tamen Erasistratum magnam sibi in anatomia laudem comparasse non ignoraremus. Etenim Galenus eum ait disciplinam corpora secandi per longum temporis spatium plane neglectam post Hippocratem instaurasse<sup>15)</sup> aliasque, si inanes esse arterias uno administrationis modo ostendi posset, hunc primum eam inventurum fuisse affirmavit.<sup>16)</sup> Aperiebat autem cum alia animalia mortua<sup>17)</sup>, tum haedos recentes a partu.<sup>18)</sup> In illis enim quaerebat de natura cerebri (*ἐγκέφαλος*)

9) K XI 433; XII 903.

10) K XXVI 77.

11) Plutarch. *quaest. compotat.* IV 1 III § 15 — Moral. ed. Didot. tom. II p. 805, 39 sqq.

12) Plin. hist. nat. XX 76, 3, ubi Diagoras quoque laudatur; K XXVI 600 sq.

13) Erasistratea pag. 13.

14) ibid. pag. 15.

15) K V 650. Welckerus (*Kleine Schriften* III, Bonnae 1850, p. 221) erravit, quod hoc loco Galeniano usis concedendum esse putavit veteres ante Hippocratem humana corpora aperuisse; de cadaveribus tale quid concedi posse Welckerus ipse supra (p. 220) indicarat.

16) K II 648.

17) K V 603 sq.

18) K II 648 sq.

eiisque arteriarum et venarum et nervorum<sup>19)</sup>; de natura oculorum<sup>20)</sup>, narium<sup>20)</sup>, aurium<sup>20)</sup>, linguae<sup>20)</sup>, partis inter pectus et umbilicum sitae (*ἐπιγάστριον*) eiusque arteriarum<sup>21)</sup>, cordis<sup>22)</sup>, cuius valvolas tricuspides (*τριγλάχινες ὑμένες*)<sup>22)</sup> primus diligenter descripsit, ventris<sup>23)</sup>, intestinorum, imprimis ieiuni (*νηστις*)<sup>24)</sup>, et in intestinum [ieunum] exortus (*ἡ εἰσ τὸ [λεπτὸν]*  
*ἐντερον ἐκφυσις*)<sup>24)</sup>: in his lactium (*μεσεντέριον*)<sup>25)</sup> naturam perscrutabatur. Quin etiam hominum corpora dissecuit, ut cerebrum eiusque venas arterias nervos<sup>19)</sup>, oculos, nares, aures, linguam<sup>19)</sup>, qualia sint, cognosceret. Alias quoque corporum partes eum aperuisse veri simile est, quanquam non traditur. Neque eorum corpora neglexit, qui morbo quodam affecti mortui erant, quod genus huius aetatis medici anatomiā pathologicā dictitant. Qui factum est, ut iecur, colum (*κῶλον*), vesicam eorum, qui a cenchride (*κέγχρος*), serpente perniciose, morsi erant, corrupta esse inveniret<sup>26)</sup> atque hydropicorum iecur saxeum esse<sup>27)</sup> et vomicas sive internas collectiones (*ἐμπυγματα*) in cor<sup>28)</sup> vel intestina inter et peritonaeum<sup>29)</sup> facillime pervenire. Quae corpora ab Aegyptiorum regibus medicis tradita esse Plinius nomine Erasistrati non addito narrat<sup>30)</sup>; Celsus<sup>31)</sup> quod Herophilum et Erasistratum nocentes homines ex carcere acceptos vivos aperuisse scripsit, fidem temere habuit eis, qui ad obtrectandum non minus prompti sunt quam ad calumniandum et Tertullianus maiore quam par est invidia odioque in paganos inflammatus eum secutus est Herophilum ,maiorum

19) K III 673; V 602 sqq.; 646. Cf. quoque ea quae de cerebro in not. 111 sqq. dicemus.

20) K V 604.

21) K IV 718.

22) K II 624; V 548 sqq.; cf. etiam not. 184 sq.

23) K III 345.

24) K III 345 componas cum 347.

25) K II 648 sq.

26) Dioscor. Pedan. apud K XXVI 72.

27) Cael. Aurelian. morb. chron. (= Cc) III 8 = C. A. de morb. acut. et chron. libri VIII Io. Conradus Amman rec., Amstelaedami 1722 (= CA) p. 473. *Ed. Venet. 1757 p. 346 f*!!!

28) Ib. V 10 = CA p. 586; 589. *Ed. Venet. 1757 p. 429 § 103,*

29) Ib. = CA p. 595. *Ed. Venet. 1757 p. 436 § 127*

30) Hist. nat. XIX 5.

31) De medic. prooem. = ed. Daremb. p. 4, 36 sqq.

prosectorem<sup>4</sup> appellans.<sup>32)</sup> Ita enim eius opprobrium iudicandum esse ultro concedet qui proxime antecedentia perlegerit, ubi medicorum, generis humani conservatorum, instrumentum, quod ἐμβρυοσφάντης appellabatur, sicam latronum esse significavit. Obstant ni mirum complura: primum enim ob Aegyptiorum religionem<sup>33)</sup> corpora aut cadavera dissecare nemini licebat nisi sacerdotibus, qui sollemnes ritus et caerimonias veterum secuti in occulto hoc munere fungebantur; vivos autem homines incidere nemini unquam gentium licuit. Ptolemaeum autem ab illo more descivisse Erasistratus indicavit, ut modo vidimus, ab hoc non indicavit neque omnino credi potest. Huc accedit quod Erasistrato multos inimicos fuisse manifestum est, experimentis morbos medentes, quos ob stultitiam superbiamque riserat<sup>34)</sup>, fortasse etiam venas secantes, IV principia defendantes, vehementer purgantes, Herophileos. Illud vero, quod ab aliis<sup>35)</sup> argumenti loco sumitur, nihil est, scilicet eum, quod arterias sanguinis expertes esse arbitratus sit<sup>36)</sup>, neminem incidisse, cum arteriae mortuorum sanguine congelante exsangues esse re vera videantur. Quae cum ita sint, et Sprengelium<sup>37)</sup>

32) Harnackius (*Medizinisches aus der ältesten Kirchengeschichte* in libro qui inscribitur *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur von Gebhardt und Harnack* VIII, Lips. 1892, p. 69) vertit *Fleischhacker*. De anima c. 25.

33) Hieronymi (dissert. inaug. hist.-med. exhib. Erasistrati Erasistrateorumque hist., Ienae 1790, p. 25) non iniuste fecit, quod ad libellum Hippocrates corpora humana insecurit necne' etc. revocavit, qui invenitur cum Christ. Godofredi Gruner, *De Aegyptiorum veterum anatome* libello in ,anlectis ad antiquitates medicas, quibus etc., Vratisl. 1774. De Erasistrato agit p. 90. Neque inutilia sunt quae Fredericus Falkius novissime exposuit *Die geschichtliche Entwicklung der experimentellen Medicin in actis inscriptis Virchows Archiv für pathologische Anatomie und Physiologie und für klinische Medicin* tom. CXXXII fasc. 2 (1893) p. 217—229, imprimis p. 221. 225. 226.

34) Dioscor. Pedan. apud K XXVI 49, quos Iourdanus (dictionn. des sciences méd.) non immerito increpuit.

35) Eloy, *dictionn. hist. de la médec. anc. et mod.*; Dujardin, *hist. de la chirurg.*, Paris 1774, p. 326, quem Marxius *Herophilus, ein Beitrag zur Gesch. d. Med.*, 1838, commemoravit; *Essai hist. sur l'école d'Alexandrie* par Iacq. Matter, Paris. 1820, tom. I p. 79.

36) Cf. v. c. K II 597.

37) *Versuch einer pragmat. Gesch. der Arzneikunde*, Hal. 1821, tom. I p. 533 sq.

et Marxium<sup>38)</sup> et Wunderlichum<sup>39)</sup> minus fidenter fabulam istam reprobasse suo iure miretur quis, ceteri, quosquos vidi, melius rem egerunt.<sup>40)</sup>

Quo clarius quae Erasistratum inter et Galenum ratio intercedat, cognoscatur, non inutile esse putamus ea, quae in alterius doctrina manca alteri visa sint, in unum congerere; nam cum tantum Galeni studium vituperandi fuerit, in reliquis rebus ambos consensisse quilibet concedet. Atque ita materiam mente recoiuimus, ut vituperationibus prolatis in singulas inquirere differamus, et quod multae verae sunt et quod disputationis rivolus in mare immensem nos non proripere non posset, de silva autem in universum iudicare non dubitemus, cum amplexuri quaequa de Erasistrato in litterarum memoria exstant, tum laudis partem, quam Galenus ei detraxit, quamvis alioquin factum expiarit, huic restituti. Quoniam Erasistratum facultatem attrahendi (*ἔλκτικὴ δύναμις*)<sup>41)</sup> et IV differentias seu principia innata (*τὸ Θερμὸν, τὸ ψυχρὸν, τὸ ξηρὸν, τὸ ὑγρόν*)<sup>42)</sup> esse negasse satis copiose prius descriptsse nobis videmur, non est cur hanc quaestionem nunc redintegremus. Nec de arteriis sanguinis expertibus<sup>42)</sup> habemus quae addamus. De natura autem atomorum Erasistratum nihil docuisse Galenus scripsit<sup>43)</sup>, cum et imparibilia et immutabilia et sterilia ea esse a primo statuisset<sup>44)</sup>, comprobare non conatus esset, quam ob rem naturam compositorum i. e. animantium (*τὰ φύσει συνεστῶτα*)<sup>45)</sup> recte dispicere non potuit<sup>45)</sup> neque eorum functiones animales (*αἱ ἐνέργειαι αἱ φυσικαὶ*).<sup>46)</sup> At tamen de omnibus se disputaturum ait in initio *τῶν καθ' ὅλου λόγων*.<sup>47)</sup> Quarum est procreatio sucorum (*ἡ τῶν χυμῶν γένεσις*), cuius nec rationem<sup>48)</sup> nec vim effectumque<sup>49)</sup> intellexit, ut Galeniana verba nostra

38) De Herophili, celeberr. med., vita etc., Gotting. 1836, p. 102.

39) *Gesch. d. Med.* p. 22.

40) In quo numero Falkius quoque est II. p. 225.

41) Cf. pag. 19 dissert.

42) Cf. dissert. pag. 20.

43) K X 400.

44) Cf. dissert. pag. 19.

45) Ib. not. 18).

46) K II 112.

47) K XV 14.

48) K II 107; 132; 141; III 541; V 123 sqq.; 132; 137; XVI 39; XVII 1506.

49) K VIII 191.

faciamus. Itaque qui cibi bono malove suco sint, omnino non cognovit<sup>50)</sup> nec de victu (*ἐπιτήδευμα*) praecepta accurata aut perfecta composuit<sup>50)</sup>, velut Galenus<sup>51)</sup> hunc vituperavit, quod mel iuvenibus calidioribus natura misereque vitam degentibus in flavam bilem mutari eoque obnoxium esse, senibus, quod sanguis fieret, salutare esse ignorasset. Sucorum autem, quos neglexisse dicitur, sanguis longe nobilissimus est neque aut quomodo<sup>52)</sup> aut cur<sup>53)</sup> in venis procreetur, utilem quaestionem esse putabat ac similiter in bile<sup>54)</sup> et flava<sup>55)</sup> et atra<sup>56)</sup>, et pituita (*φλέγμα*) et saliva<sup>57)</sup> fecit. Atque omnem de concoctione quaestionem quasi nullius momenti in re medica esset, omisit<sup>58)</sup>, cum qua de causa stomachus cibis se circumdet<sup>59)</sup> quidque aëre una cum cibis devorato fiat<sup>60)</sup> quaerere oblitus sit. Nec cur tantae arteriae in renes ducant<sup>61)</sup> aut in intestinum [ieunum] exortus talis sit natura<sup>62)</sup> aut in duabus tunicis ventriculi plane contraria sit dispositio fibrarum (*αἱ τῶν ἴνων ἐπιβολαι*)<sup>63)</sup> dignum rebatur esse, quod examinaretur. — In morbis autem curandis Galenus Erasistratum maxime increpabat, quod eorum neque originem aut causam<sup>64)</sup> nec naturam<sup>65)</sup> recte perspexisset, ita ut *διαγνωστικὸς* nullus esset, velut in atonia<sup>65)</sup> et in inflammatione.<sup>66)</sup> Eas quidem passiones, quae organicae appellarentur<sup>67)</sup>, i. e. quae a conformatione, situ, praecellentia, acri sensu proficiscerentur<sup>68)</sup>, eum recte sanasse, quae ex elementorum natura (*ὅμοιομέρεια*)

50) K V 124 sq.

51) K II 115. Cf. Clement. Paedagog. I 11, 96.

52) K II 108 sqq.; V 132.

53) K II 126.

54) K II 115; 122; XVI 39.

55) K II 112; V 123 sqq.

56) K II 112; V 104; 123.

57) K II 112.

58) K XVI 39.

59) K II 126; 128 sq.

60) K II 176.

61) K III 364.

62) K III 347.

63) K II 168.

64) K II 88 sqq.; 128; XVI 40.

65) K X 462.

66) K X 119.

67) K X 184; XV 9.

68) K X 311; quid haec ,praecellentia' sibi velit nos ignorare fatemur.

nascerentur aut omnino non aut nulla via et ratione (*ἐμπειρικῶς*)<sup>69)</sup> sanasse velut ulcus, quod ab utroque genere penderet.<sup>70)</sup> In aliis quoque salutaribus praexceptis (*Θεραπευτικοὶ λογισμοὶ*) eum errasse<sup>71)</sup> propterea, quod suorum naturam utilitatemque non satis novisset velut in biliosis affectionibus<sup>72)</sup>; ignorasse enim eum ait lienem iuvenibus minui, si augeretur exulceratusque fieret, eos mori<sup>73)</sup>, quoniam facultate bilis attrahendae amissa sanguis sor- desceret, id quod colore cutis, morbo arquato (*ίκτεροι μελάντεροι*), nigris in ulceribus cicatricibus indicaretur.<sup>73)</sup> Praeterea autem eum passiones oculorum auriumque certo tempore recurrere nescivisse.<sup>74)</sup> Caelius vero Aurelianus, qui de laterum dolore (*πλευρῖτις* vel *πλευρῖτικά*)<sup>75)</sup> et peripneumonia vel phthisi<sup>76)</sup> et tetanica passione<sup>77)</sup> latius egit, haec omnia ab Erasistrato, qui tardas omnino passiones parum curasset<sup>78)</sup>, pleuritica etiam ab Herophilo omissa esse addidit, cum Galenus ulcus in pulmonibus obortum non descriptum esse adnotavisset.<sup>79)</sup> Adde quod in remediis quaerendis Galeno non minus displicebat, nam saepius iram eius concitavit velut in vehementer purgantibus<sup>80)</sup>, venae sectionibus<sup>81)</sup>, capitis siccationibus<sup>82)</sup> exagitatis, qua re eum ulcus in pulmonibus habentibus aut inflammatione pulmonum affectis mederi potuisse negavit<sup>83)</sup>; inedias autem diurnas qui substituisset, eum male fecisse propterea, quod alios eosque [gravissimos] morbos, quos a Galeno incredibiliter auctos esse ne mirere, ultro adduxisset<sup>84)</sup> vel — id quod quo falsius est, eo ridiculus est, quan-

69) K XV 8 sq., X 183 sq.

70) K X 184; 310.

71) K V 714.

72) K V 132, ubi atram bilem perstrinxit.

73) K II 132 sqq.

74) K XIX 184 sq.

75) Ca II 18 = CA p. 123.

76) Ib. II 29 = CA p. 143; vide tamen p. 139.

77) Ib. III 8 = CA p. 212.

78) Cc praef. 3 = CA p. 268.

79) K X 375. 377.

80) Cf. dissert. p. 26.

81) Cf. not. 224 sqq.

82) K X 377.

83) K X 375; 379.

84) K XI 156; 178 sq., id quod Erasistratei postea Hippocrati crimini dabant (K XV 478).

quam omnia falsa non sunt ridicula<sup>85)</sup> — aegros mera libidine crudeliter necasset<sup>86)</sup>). — Quae opprobria si recte examinare velis, magna ex parte dilabentur, quanquam reliqua stare vix quisquam neget; Galenum enim iniuriis ab Erasistrateis affectum insidiisque haud paucis petitum<sup>87)</sup> vehementius quam par fuit in Erasistratum facillime invehi potuisse nemo non videt, praesertim cum is, qui IV saeculis post vivat, non invitus eos increpare et p[ro]ae se contemnere soleat, qui IV saeculis ante fuerint. Tamen non temere, ut Galenus ubique fieri simulabat, Erasistratus a superiorum decretis desciscebatur, sed certis ubique et eis gravissimis causis ad ductus: velut facultatem attrahendi (*η ἐλκτική τε καὶ ἐπισπαστικὴ δύναμις*)<sup>88)</sup> esse negabat, quod necessitas vacua replendi (*η πλὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθία*)<sup>88)</sup> ad illa quoque explicanda valeret ac pro calore innato, qui certe artificiose excogitabatur cum Praxagora calorem extrinsecus attractum<sup>89)</sup>), quem esse omnes concedebant, supponebat. Alia autem ignorabat, quod inutilia in re medica ea esse rebatur: flava bilis, ut hoc utamur, creeturne in ventre an una cum cibis absorbeatur quaerere medici non esse putabat<sup>90)</sup>; nullius quoque momenti esse ait, ubi aut quo modo aut cur suci exstant<sup>91)</sup>; ad physicam potius artem haec esse referenda similiter ac sanguinis ortum causamque concoctionis.<sup>92)</sup> Haec quidem suo iure omisit, sed quod in tanta rerum multitudine describenda singulas res oblitus est, quis est qui miretur? Praeterea autem tanti se ipsum aestimabat, ut aliorum vestigia, si ipse suis pedibus progredi posset, sequi nolle<sup>93)</sup>), tamque studiosus novorum erat praeceptorum<sup>94)</sup>), ut, quotienscunque sensus non sufficerent, conicioendo et excogitando et fingendo discipulis viam muniret<sup>95)</sup> velut in arteriis describendis.<sup>95)</sup> Qua in re saepius accidit, ut ab eis, quae reliqui esse negabant, quasi certa essent,

85) Galeni verba apud K V 714.

86) K XI 177.

87) K IV 728; XI 229.

88) Cf. dissert. p. 21.

89) Ib. pag. 20 sq.

90) K V 123.

91) K V 132. Similia Erasistrateis crimini dedit Galenus velut K V 165.

92) K II 126.

93) K II 132 sqq.; XVII I 364; similia in dissert. p. 4 alia causa attulimus.

94) K II 141.

95) K IV 721; VIII 950.

proficisceretur, velut necesse esse putabat totum corpus spiritu impleri itaque cor<sup>96)</sup> atque spiritum a corde in arterias mitti.<sup>96)</sup> Mirum igitur non est eum sophistarum ratione aliquando aliquid assecutum esse<sup>97)</sup>, quod opprobrium tamen Erasistrateos potius quam Erasistratum ipsum spectare videtur.<sup>98)</sup> Quod denique libenter obscuris admodum sententiis utebatur eo consilio, ut, cum nil sciret aut diceret, multa et scire et dicere videretur<sup>99)</sup>, ambitiosi magis quam ruditis in arte medica hominis est; namque hoc crimen, quanquam quae exstant non minus plana Galenianis sunt, tamen de medio ut tollas, vix tibi continget. Quod si quis facere conatus erit, haec potissimum similiter atque in aliis fortasse fieri potest, in sectatores magis quam in ducem gregis dicta esse statuet.<sup>100)</sup> His quoque rebus<sup>101)</sup> enarratis Erasistratum rationale medicum fuisse satis aperte indicasse nobis videmur, qua in re notio rationalis ita accipi debet, ut designetur is, qui causas passionum perspiciat perspectasque causas atque una passiones auferat. Neque abhorret quod semirationalem eum alibi<sup>102)</sup> Galenus dixit; nam is, qui ἐν τοῖς τῶν δμοιομερῶν calidum frigidum humidum siccum causas non agnoscebat<sup>103)</sup>, etsi alias conquirebat, tamen Galeno ratione repudiata rem egisse necessario videbatur.

Ut omnium temporum homines docti ita Erasistratus animam ( $\psi\chi\rho\eta$ ) corpusque ( $\sigma\omega\mu\alpha$ ) primarias animalium partes esse docebat nec tamen ita, ut finem utriusque accurate describeret, sed illius sedem, quam putabat, invenisse satis haberet. Est autem in membra cerebri ( $\mu\tilde{\nu}\nu\iota\gamma\xi$ ) vel in cerebello ( $\xi\pi\iota\kappa\varphi\alpha\iota\xi$ ) principale animi ( $\tau\circ\tau\eta\varsigma\psi\chi\rho\eta\varsigma\iota\gamma\mu\o\eta\iota\kappa\o\eta$ )<sup>104)</sup>, quia boves ad summas verte-

96) K IV 723 sqq.

97) K II 141; 166.

98) K V 105.

99) K V 140; VIII 312 sq.

100) K III 364.

101) Cf. dissert. p. 18 not. 17.

102) K X 184; XV 8. Hoc Darembergius (*hist. des sciens. médic.* I p. 148) quoque statuit; Liebmanni autem hac in re iudicium (Quos medicina progress. sec. per Heroph. Erasistratumque et asseclas, Wirceb. 1845, p. 15), quo Erasistratus in empiricis magis quam in rationalibus ponitur, perversum est ac ne exiguo quidem fundamento nititur.

103) Cf. dissert. p. 20.

104) Plutarch. *de placit. philosoph.* IV c. 5 § 3 = *Moral.* ed. Didot. II p. 1097, 24 sq. cf. cum Dielesi doxogr. Graec., Berol. 1879, p. 391;

bras caesi movere extemplo desinunt.<sup>105)</sup> Itaque quo modo primum corporis elementum, nervi (*νεῦρον*), ab anima regantur, quaerere omisit; his enim potissimae animalium functiones fiunt et movendi<sup>106)</sup> et sentiendi.<sup>107)</sup> De origine autem nervorum Erasistratus aliis temporibus aliter exposuit, cum primum obiter leviterque inquireret nec fetuum nervos nascentes respiceret<sup>108)</sup>, tamen a capite in adultis eos proficisci nunquam negavit<sup>109)</sup>, de parte tantum capitinis ambigit. Is enim cum iuvenis artis medicae usui magis quam rationi vacabat, extremos tantum nervos inde a dura membrana seu matre (*ἡ παχεῖα μῆνιγξ*) ductos intuitus hinc eos proficisci rebatur<sup>109)</sup>, id quod in libris plerisque teste Galeno<sup>109)</sup> fuit, senex autem, cum quae sectionibus factis reppererat ad certam quandam rationem revocabat<sup>109)</sup>, fibrillas nervorum per duram matrem in cerebrum usque penetrare cognovit<sup>109)</sup>, quae doctrina in libris *τῶν διαιτησεων* aetate maxime proiecta conscriptis<sup>110)</sup> latius exposita fuit, unde fragmentum, quod de narium aurium linguae oculorum nervis est, a Galeno depromptum esse<sup>109)</sup> quin credamus non adducimur. Non alienum esse ab hac quaestione putamus quaecunque de cerebro Erasistratum exposuisse scimus ea nunc in enarrando complecti, quoniam Erasistratus ipse hunc cerebrum

K XIX 315; Tertull. de anima c. XV = patrol. curs. complet. accur. I.-P. Migne tom. II (Paris. 1878) p. 713 A; Theodoret. Graec. affect. curat. serm. V (*περὶ φύσεως ἀνθρώπου*) 22 = rec. Thom. Gaisford, Oxon. 1839, p. 198 cf. cum Dieles. II. proleg. p. 45 sqq. et 208 sq.; Euseb. praepar. evang. XV 61, 3; Iul. Polluc. onom. II 24 (de *ἐπικρανίδος* significatione compares quoque II 45 et Melet. *περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς* in I. A. Crameri anecdote. Graec., Oxon. 1835—1837, vol. III p. 54 v. 18 sq.). Vertit autem *ἥγεμονικόν* Franc. Oehlerus in edit. Tertull. II 577 cum Cicerone (de nat. deor. II 11) *principale*; Harnackius (*Medizinisches aus d. ältesten Kirchengesch.* in libro *Texte u. Untersuch. zur Gesch. der altchristl. Litt. von Gebhardt und Harnack* VIII, Lips. 1892, p. 82 sq.) designari nostro sermone *Lebens- und Denkzentrum* non minus recte adnotavit. Cf. denique Actuar. *περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος καὶ τῆς κατ' αὐτὸν διαιτῆς λόγ. β'* etc. ed. Ioh. Frider. Fischerus, Lips. 1774, p. 49 et Sim. Sethi *syntagma de aliment. facult.* ed. Langkavel, Lips. 1868, p. 78.

105) K V 609.

106) K V 125.

107) Ruf. Ephes. de membr. human. appellat. II c. 17 in medic. antiq. Graec., Basil. 1581, p. 30 = ed. Daremb.-Ruelle (Paris. 1879) p. 184 sq.

108) K V 553.

109) K V 602 sqq.

110) K XVIII 186; cf. quoque V 646.

paulo diligentius describendi locum esse existimavit. Cerebrum (*ἐγκέφαλος*) triplicitate vasorum<sup>111)</sup>, nervis arteriis venis, carens, quia affusio sanguinis (*παρέγχυμα τῆς τροφῆς*) est<sup>112)</sup>, et in reliquis animalibus et in homine in duabus cavernis situm est, quae prope commissuram suam in unum coëunt<sup>109)</sup>, materies autem tortili membrana illa, quam duram matrem (*η [παχεῖα] μῆνιγξ*)<sup>104 109)</sup> appellamus, circumdata ipsa quoque tortilis<sup>113)</sup> est, in hominibus tamen magis quam in bestiis, quod illi his ratione antecellunt.<sup>113)</sup> Nectitur ex cerebro cerebellum (*ἐπεγκλανίς*<sup>109 113)</sup> sive *ἐπικλανίς*<sup>114)</sup> ipsum quoque membrana intersaepum et vehementer implicitum.<sup>109)</sup> Ad nervos autem nutriendos triplicitate vasorum rursus est opus, ut uno nervo, qui dicitur, arteria et vena comprehendantur<sup>115)</sup>, ut si funem ex tribus cordis nexueris.<sup>116)</sup> Quorum vena facultatis attrahendi expers<sup>116)</sup> τῇ πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίᾳ nutritur sanguine ex proximis venis non attracto, quia alimentum viscosum est nec facile excernitur<sup>117)</sup>, quamquam diligentius haec non descripsit<sup>118)</sup>, arteria, ut omnes solent arteriae, spiritus (*πνεῦμα*) plena est, totus autem praeter has partes nervos, simplex vas<sup>119)</sup>, cavernam in se habet spiritus animalis (*πνεῦμα ψυχικόν*) plenam<sup>116)</sup>, nam sectatores totum nervom ex innumerabilibus fibrillis conglutinatum esse postea demum invenerunt.<sup>116 119)</sup> Moventur autem membra non nervis ipsis, sed musculis (*μῆρις*) velut thorax<sup>120)</sup>; nam aut animi nos fallunt aut spiritus animalis ex nervorum arteriis in cavernas tororum se effundit, ut supra et infra vehementer tensi contrahantur<sup>121)</sup>; qui fit, ut, quo cui pliores tori sunt, eo fortius celeriusque moveatur.<sup>122)</sup> Plurimos autem nervos in membrana costas succingente (*ὑμήν δὲ πτερωκώς [τὰς πλευράς]*) esse Erasistratus

111) Cf. dissert. pag. 21.

112) K XIV 697; 709; cf. quoque Claud. Galen. Pergam. omn. q. ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, part. I pag. 104 F.

113) K III 673.

114) Plut. et Gal. l. l. in not. 104; Euseb. praep. ev. XV 61, 3.

115) K II 337.

116) K II 95 sqq.

117) K V 125; 134.

118) Ib. 137.

119) K II 99 sq.

120) K IV 477.

121) K IV 707; VIII 429.

122) K V 603.

quoque vidit<sup>123)</sup> , cum reliquis de membranis quid statuerit sciri nunc non queat. — In morbis, quos ad nervos referebat, Erasistratus tremorem et paralysin (*παράλυσις*, *πάρεσις*) et apoplexiā habebat, quorum illi brassica, quam multifariis passionibus adhibebat<sup>124)</sup> , mederi solebat, de paralysi autem cum aliis locis tum in libris ἡ τῶν παρέσεων πραγματείᾳ vel τὰ περὶ παραλύσεως<sup>125)</sup> prolixē egit. Quam ob rem nobis quoque quaecunque conservantur hic enumeranda videntur esse. Paralysis igitur fit, quam primum viscidi glutinosique illi humores, quibus nervi nutriuntur, in nervorum moventium arteriolas spiritus animalis plenas infusi sunt<sup>126)</sup> , id quod et post alia et post articulos humororum distentos<sup>127)</sup> accedit. Duo autem genera dignoscenda sunt: quod conductionem et quod extensionem affert.<sup>128)</sup> Commemoravitque ,paradoxum illud, quo qui ambulant repente sistuntur, postea ambulare pergunt.<sup>129)</sup> Nec vero in curando duo ista genera bene distinxit, quamquam in conductione sola cataplasmatis et malagmatis ad laxandum utebatur<sup>130)</sup> , ita ut sive ad hoc spectant sive ad illud spectant, in unum omnia congerere malimus, praesertim cum Caelii ipsius in hac re enarranda verba admodum plana non sint. In ea enim quam de paralysi composuit artem medendi<sup>131)</sup> et venae sectionem et purgationem obnoxiam esse docuit<sup>132)</sup> scilicet vehementem, quoniam mitisne conduceat postea videbimus, utendum autem ait esse in initio curandi clysteribus, febribus irruentibus inedia, cum nihil nisi mulsum ex aceto confectum porrugas, secundum accessiones dimissionesque febrium ptisanam vel olera danda nec non aromaticas potiones, praeterea autem venter facilis sit; per unum annum aeger ne bibat vinum, cuius locum lac cum melle saleque<sup>130)</sup> et brassica<sup>124)</sup> teneat. Atque vomat post cibum et deambulet arenosis in locis.<sup>130)</sup> Cui autem peritonaeum morbo vitiatum est, ne mingat nisi adhibito cathetere.<sup>133)</sup>

123) K VIII 318.

124) Plin. hist. nat. XX 34, 1.

125) Cf. dissert. pag. 16.

126) K V 125; 134.

127) K XVIII II 867.

128) K XVI 672 sq.; Cc II 1 = CA p. 363.

129) Ib. = CA p. 348.

130) Ib. = CA p. 363 sqq.

131) K V 137. 132) K XI 245.

133) Cc II 1 = CA p. 347; de cathetere cf. K XIV 750 sq.

Secundum elementorum corporis genus arteriae (*ἀρτηρία*) sunt, quae similiter ac nervi innumerabiles in arteriolas scinduntur, ita ut nulli nec membro nec loco desint<sup>134)</sup>; unaquaeque autem cum vena quadam in unum coit commercio particula effecto, quae os commune (*συναναστόμωσις*, vasa capillaria) nuncupabantur<sup>135)</sup> velut pulmonum arteriae cum venis in membranam pulmoni circumdatam coëunt.<sup>136)</sup> Neque ipsae sunt organa vitalia, sed canales inanimi<sup>137)</sup>, qui spiritui vitali (*πνεῦμα ζωτικόν*) viam muniunt<sup>138)</sup>; quod ut exsequi possint, sanguine carent.<sup>139)</sup> De situ autem haec prodit: aspera arteria (*ἡ τραχεῖα ἀρτηρία, ἡ κατὰ τὸν τράχηλον ἀρτηρία*<sup>140)</sup>) a faucibus deorsum proficiscitur<sup>141)</sup>, tum multis admodum bifurcationibus — quarum maiores duas *βρόγχους* posthac nominaverunt — in innumerabiles arteriolas (*τραχεῖαι*) dividitur, donec ad membranam pulmonum usque perveniens per *συναναστομώσεις* cum arteriolis levibus a corde ductis (*λεῖαι*) cum venulisque pulmonum in unum coëat<sup>140 142)</sup>; ignorabat autem, cur pulmonibus et arteriolas et venulae sint.<sup>142)</sup> Illud vero maxime mirum ei videbatur esse arterias pulmonarias tegumentis (*χιτῶνες*) venarum, venas arteriarum circumdari.<sup>142)</sup> Leves autem arteriae ipsae quoque deorsum coëunt in venam pulmonalem (*ἡ ἐξ τοῦ πνεύμονος ἀρτηρία, ἡ ἀρτηρία ἡ φλεβώδης*), quae ad thalamum (vel ut nos dicimus atrium) pneumaticum i. e. sinistrum cordis descendit valvolisque bicuspidalibus seu mitralibus (*δυοῖν ὑμένων ἐπίφυσις*) ima in parte clauditur.<sup>143)</sup> Quam magnitudine superat arteria magna sive aorta (*ἡ μεγάλη ἀρτηρία*), quae prope venam

134) K XI 153.

135) K III 492; 513; IV 709; XI 153 sq.

136) K VIII 323.

137) K V 167 sq.

138) K IV 714; VIII 714. — IV 502; 664 magnam arteriam solam spectans; 705 sqq.; 712; 715; 723; V 549; III 364; VIII 314 sq.; 412; 950; X 120; XI 153; Gal. ascript. libr. de motib. manif. et obscur. c. IV (De motu virgae) = Gal. ed. Charter. V p. 400. *Ed. Junct. quinto, T. secundo, Spurit*

139) K II 597; 648; III 492; 521; 537; IV 671; 705; 721; 723 sq.; VIII 940; 950; Apollon. Citiens. etc. schol. in Hippocr. et Gal. ed. Dietz, 1834, II p. 153; cf. quoque quamvis non veteris memoriae auctorem Andr. Vesal. Bruxellens. de human. corp. fabrica p. 526.

140) K III 521.

141) Gell. noct. Att. XVII 11.

142) K III 537; VIII 323.

143) K V 549.

cavam a pneumatico i. e. sinistro cordis thalamo ubi tres valvolae semilunares sunt<sup>143)</sup> profecta<sup>144)</sup> sursum primum ascendit, tum multis admodum arteriis in utramque pleuram pulmonesque missis spinam versus descendit, ut permultis ramificationibus, quem ad modum locuntur, factis cum minutis venae cavae bifurcationibus iungatur.<sup>145)</sup> Renales denique arterias utiles esse negabat<sup>146)</sup> seminaliumque nihil nisi nomen videtur attulisse<sup>147)</sup>; de nervorum autem arteriolis ab Erasistrato praceptorum suorum causa inventis modo diximus.<sup>148)</sup> Unum autem, quod in haedis recentibus a partu sectionibus factis repperit, in arteriarum structura describenda addi debet: lactum enim arterias, ubi primum sectae sunt, spiritus plenas esse vidit, paulo post lacte repleri<sup>149)</sup>). — Deinceps de respirationis via et ratione disceptandum est, qualem eam esse cum sibi tum aliis multis Erasistratus persuaserit. Atque primum de utilitate respirandi eum egisse ex compluribus Galeni locis cognoscitur, ubi quae exposuit convicta sunt<sup>150)</sup>, nec non ex frustulis quibusdam, quae idem tantummodo perstrinxit. Respiramus igitur arteriarum spiritu animali vitali-que complendarum causa<sup>151)</sup>, quoniam *spiritu animal regitur tamquam naturae functionibus obeundis coadiutore*<sup>152)</sup>, et concoquendi<sup>153)</sup> et generandi causa. Spiritum autem certa ratione temperari opus est neque esse eum aut pertenuem aut perdensum, ut suffocemur, id quod evenire solet in voraginibus aëre mali odoris abundantibus et in domibus calce modo oblitis et prope prunas, quae restinguiri incipiunt, quoniam talis aer retineri arteriis nequit.<sup>155)</sup> Quod Galenus verum esse negavit, sese ipsum causam suffocandi non perspexisse professus.<sup>156)</sup> Auctor respirandi, quem  $\alpha\varrho\chi\eta\nu$  Graeci nuncupabant,

144) K III 465.

145) K VIII 311—319.

146) K II 91.

147) Andr. Vesal. Bruxellens. de human. corp. fabrica p. 526.

148) Cf. not. 115 sq.

149) K II 648 sq.

150) K IV 497 sq.; V 714; XIX 38.

151) K IV 471; VIII 714; XVII II 320.

152) Claud. Gal. Pergam. omn. q. ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, p. I p. 104 F.

153) Vid. not. 259.

154) Cf. 147.

155) K IV 480. — III 540; IV 496.

156) K IV 497.

pulmo non est, quippe qui propriam agendi facultatem non habeat<sup>157)</sup>, sed thorax, quem musculis animal sponte (*κατὰ προαιρεσιν κίνησις*) et distendit et contrahit<sup>157) 158)</sup>, quapropter thorace spiritum mitti pulmonibus Erasistratus semel scripsit<sup>159)</sup> atque idem cum opinionem eorum, qui circumagi (*περιωθεῖσθαι*) spiritum affirmaverant, refelleret<sup>160)</sup> τὸ φαινόμενον sic illustravit: quotiescumque thorax musculis distenditur, τῇ πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίᾳ aer a summo ore nasoque per arteriam asperam (ἢ τραχεῖα [ἀρτηρία], ἢ κατὰ τὸν τράχηλον ἀρτηρία) in thoracem pervenit et, ubi primum hic contractus est, arteriae asperae per ramulos (αἱ τραχεῖαι scil. ἀρτηρίαι, quae βρόγχοι posthaec dicebantur) in membranam pulmonum pellitur, tamquam si spongiam aquae plenam manu exprimas.<sup>161)</sup> Unde in arteriolas leves (αἱ λεῖαι scil. ἀρτηρίαι) — communia enim his et illis ora sunt<sup>162)</sup> — desertur, ut vena pulmonali (ἢ τοῦ πνεύμονος ἀρτηρία, ἢ ἀρτηρία ἢ φλεβώδης) usus ventriculum pneumaticum i. e. sinistrum cordis repleat.<sup>161)</sup> Tum corde extrudente (*ἐκθλίβειν*) omnis spiritus tanta cum celeritate per magnam arteriam sive aortam (ἢ μεγάλη ἀρτηρία) innumerabilesque eius bifurcationes passim rapitur, ut uno motu quidquid spiritu eget eum recipiat<sup>163)</sup>; itaque non solum omnibus arteriis praeter eas, quae in pulmonibus sitae sunt, praeterque venas pulmonales<sup>164)</sup> materia vitalis mittitur, verum etiam musculis.<sup>163)</sup> Sed maxime miri quid hoc loco interponendum est: spiritus enim duo genera prorsus diversa sunt, alterum vitale, alterum animale (*πνεῦμα ζωτικὸν* et *πνεῦμα ψυχικόν*)<sup>165)</sup>, quae et in aëre et in asperis arteriis levibusque coniuncta sunt, deinde autem ita divelluntur, ut illud ex sinistra cordis caverna arteriis<sup>166)</sup>, hoc arteriarum ope durae matri (*μῆνιγξ*) mittatur<sup>167)</sup>, itaque hoc a capite

157) K VIII 324.

158) K II 660; IV 477.

159) K IV 473 sq.

160) K II 111.

161) K IV 706; VIII 315; 325 sq.; Gell. noct. Att. XVII 11.

162) Cf. not. 140. 142.

163) K IV 482; 706 sqq.; 723; V 167; 551; 620 sq.; VIII 315 sq.; Gell. noct. Att. XVII 11.

164) K V 166; VIII 315.

165) K IV 714; VIII 714; 760; XVII II 320.

166) K V 184 (a Chrysippi via, qui animalem hac contineri spiritum docebat, Erasistratum aberrasse his verbis indicatur); 281; VIII 714.

167) K IV 502.

regi affirmavit.<sup>168)</sup> Distenduntur autem arteriae spiritus distributione, id quod motum arteriarum (*ἡ τῶν ἀρτηριῶν κίνησις*) recte dicas, pulsum (*σφυγμός*) cave appelles<sup>169)</sup>, quamquam altera parte prius altera posterius agitata species pulsus efficitur.<sup>170)</sup> Quae movendi ratio una arteria secta perturbatur, quoniam recta spiritus *χορηγία* — ne terminum sat definitum vertendo corrumpamus — impeditur.<sup>170 171)</sup> Adde alterum respirandi impedimentum, suffocationem (*τὸ πνῖγος*), aut nimis respirando aut parum oborientem. Necesse enim est ambitum thoracis et minui et augeri, ut arteriae asperae spiritum recipiant; atqui si thorace contracto non respiraveris, ambitus minimus esse non desinet, sin nimis respiraveris, maximus; ergo anima tibi intercludetur.<sup>172)</sup> Nec tamen interclusio ipsa *πνῖγος* proprie vocatur, sed cordis vana conamina spiritum ex pulmonibus hauriendi, id quod propter valvulas (*τῶν ὑμένων ἐπίφυσις*) fieri nequit.<sup>172)</sup> Haec igitur est ratio aërem imbibendi; quaenam autem est reddendi? De hac re nihil nobis occurrit nisi hoc: partem quandam spiritus ex pulmonibus sursum in os nasumque thorace contracto repelli, qua vocis via fieret.<sup>173)</sup> — De morbis pulmonum, ne quid

168) K V 281. *important*

169) Cf. quae in Fleckeiseni annal. 1892 p. 685 conscripsimus, die plethora bei Erasistratos'.

170) K IV 734.

171) K IV 715; V 620.

172) K II 701; IV 473—479.

173) Gell. noct. Att. XVII 11. — Quamquam qualis post Erasistrati aetatem haec respirandi doctrina fuerit, quaerere nunc distulimus, tamen haec non inutiliter addi confidimus: amicus doctissimus Carolus Schmidt nuper nobiscum communicavit similem *πνεύματος* doctrinam legi apud Simonem Magum (cf. act. apost. c. VIII v. 9—15), nam M. E. Amélineau (*essai sur le gnosticisme égyptien etc.* in libro cui titulus est *Annales du musée Guimet XIV* [Paris. 1887] p. 44) haec de mago isto attulit: *,le nombril est le lieu de réunion de quatre conduits qui servent à la nourriture du foetus, savoir deux artères qui sont les canaux de l'air respirable, et deux veines qui sont les canaux du sang'*; nec dissimilia Meletius *περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς* exposuit, quae invenies in Crameri, anedotis Graecis<sup>4</sup>, Oxon. 1836, III p. 33 sq. et Actuarius *περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος καὶ τῆς κατ' αὐτὸ διαιτῆς λόγοι β'* etc. ed. Ioh. Frider. Fischerus, Lips. 1774, et alias et p. 49. Medii autem aevi celeberrimus medicus Andreas Caesalpinus putabat *es werde dem Blut in den Arterien (im Herzen) ein, Spiritus' beigemischt, welcher das Blut selbst bewege*, cf. O. Seidenschnur in Henscheli *Iano II* (1847) p. 195 illustrantem quae Balthas. Chimenz in libro *,Metaxas annali medico-chirurgici*, April 1845<sup>4</sup> adnotaverat. Cf. quoque Senecae natur. quaest. III 15.

qui legent desiderent, pauca habemus: I) de *ulcere in pulmone* oberto nihil fere speciatim expositi ad nostra tempora permansisse ex capite de *,ulceribus*<sup>4</sup> composito<sup>174)</sup> cognoscetur, II) ac ne de tabe (*περιπνευμονία, φθίσις*) quidem quicquam exposuit nisi pulmonum arterias pati.<sup>175)</sup>

Tertium corporis elementum, venae (*φλέβες*), ad sanguinem et procreandum<sup>176)</sup> et una cum atra bile (*ἡ μέλατινα χολή*) circumvehendum<sup>177)</sup> prosunt, cur tamen et quo modo haec fiant, physici, non medici est deliberare.<sup>178)</sup> Proficisci autem eas a corde in opere de febribus conscripto latius docuit, cum in fetu venas ex corde gigni exponeret<sup>179)</sup> neque eas esse arteriis tenuiores mollioresque<sup>179)</sup> commemorare oblitus est. Coniungi eas cum arteriolis osculationibus (*συναναστομώσεις*) ipse quoque alias<sup>180)</sup> ostendit. Quarum singulas descriptas ab Erasistrato repperimus hasce:

1) Arteria pulmonali seu venosa — ut hanc voculam singamus — (*ἡ φλὲψ ἡ ἀρτηριώδης*) sanguis ex dextro cordis thalamo pulmonibus mittitur.<sup>181)</sup>

2) Venae pulmonis, quae tegumento arteriis simillimo teguntur, quid re vera sibi velint, ignorabat.<sup>182)</sup>

3) Venae in nervis sitae alibi descriptae sunt.<sup>183)</sup>

4) Vena cava (*ἡ κοίλη φλέψ*) praecipuum et nobilissimum sanguinis receptaculum est. Proficiscitur enim a dextro thalamo — nunc atrio — cordis prope magnam arteriam<sup>184)</sup>, valvolis tricuspidalibus (*τρεῖς ἀκίδων γλωχῖσιν δμοιότατοι τὴν σύνταξιν νιμένες*) clausa<sup>185)</sup>; spinam versus autem deorsum tenditur usque ad locum, quo praecordia ex vertebris nascuntur<sup>186)</sup>, multis quoquo versus ramulis dimisis velut in pleuras inferioresque corporis

174) K X 375; cf. Fleckiseni annal. 1892 p. 683.

175) Ca II 28 = CA p. 139 et 143.

176) K II 126.

177) K II 63 sq.; 131; totum fere caput huic rei indicio est.

178) K V 547—553.

179) K VIII 318.

180) Cf. not. 135 sq.

181) K II 77.

182) K III 537 sqq.

183) Commemorantur v. c. K II 96; cf. not. 115 sqq.

184) K III 465.

185) K V 548.

186) K II 69 sq.; VIII 317.

partes.<sup>186)</sup> Reliqua autem quaeque suo loco exhibebuntur. — His igitur venis sanguis circumfertur. Sanguis (*αἷμα*) autem est sucus ciborum concoctorum (*τὰ κεχυλωμένα*)<sup>187)</sup>, cuius originem spectare plane inutile esse arbitrabatur<sup>188)</sup>, Galenus saltem eum hac de re omnino quicquam statuere potuisse negavit propterea, quod calidum innatum plane ignorasset.<sup>189)</sup> Verum tamen iecore sanguinem procreari semel videtur affirmasse<sup>190)</sup>, nam Galenus eum recte rettulit scivisse pituita in ventriculo orta eiusque, qui in iecur pervenisset, suci ciborum eum fieri.<sup>191)</sup> Tres autem causae sunt, cur venae sanguine indigent: primum ad omnia corporis membra conformanda, secundum ad nutriendum, tertium ad genus propagandum vel — ut uno complectamur — omnis in sanguine vita posita est. Conformantur igitur eo membra et sanguinea et reliqua qualia sunt adeps, nervi, glandulae, ligamenta, medulla, ea quam nuper exposuimus ratione<sup>192)</sup>; nec tamen eius qui crescit corpus quoquo versus distenditur (*ἡ πάντη διάτασις*)<sup>193)</sup>, sed simillimae quales in reste vel catena annectuntur particulae (*τὸ ἐπιπλέκεσθαι*)<sup>194)</sup> atque exemplo a pusillis vasis sumpto quid rei sit accuratius declaravit: etenim proximis venis materia pro altera abducta recentior suppeditatur, quae secundum legem vacua replendi (*ἡ πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθία*) venularum tunicam versus attrahitur attractaque retinetur.<sup>195)</sup> A quo genere discrevisse videtur eam quam proprio nomine nuncupabat alluviem (*παρέγχυμα*), quod sanguis venis passim latus ad tunicas vasorum alluitur adhaerensque stabilitur.<sup>196)</sup> Est autem ipsa viscerum consistentia<sup>197)</sup>, quam carnem alii dicunt<sup>198)</sup>, cuius rei exempla in scriptorum libris invenimus haec: pulmonem, iecur, lienem, renes<sup>199)</sup>, praeterea cerebrum,

187) K II 157; V 140.

188) K II 107 sqq.; 129; III 541; V 132; 553.

189) K II 112.

190) K II 126.

191) K V 140.

192) K II 83—87; cf. quoque dissert. pag. 19 sq.

193) K II 89.

194) K II 87.

195) K II 105.

196) K XII 311.

197) K I 599; II 576; 603; XV 8; Oribas. ed. Bussem. et Daremb. III p. 8.

198) K III 421; XV 8; 250.

199) K III 318; 421; X 731; 948; XIII 192 sq.; XIV 697 sq.; XV 250; cf. quoque Claud. Gal. Pergam. omn. q. exst. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, p. I p. 104 F.

medullam, adipem<sup>200)</sup>; παρεγχύματα non sunt reliqua intestina, ventriculus, uterus.<sup>201)</sup> Atque ad membra nutrienda sanguis valet eoque nutrimentum<sup>202)</sup> vel potius vehiculum nutrimenti<sup>203)</sup> ab Erasistrato vocabatur, nam pars tantum eius stabilitur, pars rursus abigitur. Denique generi propagando prodest.<sup>204)</sup> Venimus ad periodum sanguinis, quem ἀνάδοσιν et alii et Erasistratus vocabant, de quo eum prolixius egisse Galenus testatur<sup>205)</sup>, cum simul pravas eius ratiocinationes diceret.<sup>206)</sup> Est autem ἀνάδοσις circumvectio sanguinis per venas facta, cum contra circumvectionem nutrimenti per nervos eorumque arteriolas factam διάδοσιν videtur nuncupasse.<sup>207)</sup> Cuius causa non vicinitas arteriarum est, ut non nulli arbitrabantur, sed ventriculi ἔκθλιψις et ἔνθλιψις ταῖς φλεψὶ γενομένη, qua nutrimentum sursum rapitur<sup>208)</sup>, celerius ni mirum in aegrotis<sup>209)</sup>, lentius, cum minus nutritilibus cibis vescare, quales sunt legumina, olera, fici, cucurbitae, panis non fermentatus.<sup>210)</sup> Nec vero ventriculus, qui novos sucos in venas mittere non desinit, initium periodi est, sed cor<sup>211)</sup>, in quod per venam cavam (ἡ ζοὶλη φλέψ) sanguis intrat, a quo per arteriam pulmonalem in pulmones pervenit, cum valvolis tricuspidalibus (οἱ τριγλώχινες ῥυμένες) ne refluat impediatur. Ita autem valvolae conformatae sunt, ut, qua sanguis intrat, ab exteriore in interiorem partem vergant, qua exit, ab interiore in exteriorem.<sup>211)</sup> Qua de re cum Herophilus indiligentius, Erasistratus accuratius exposuisset, Galenus se nihil habere ait quod adderet.<sup>212)</sup> Itaque corde contracto val-

200) Ib.; K XIV 697; 709.

201) K X 731.

202) Cl. Gal. Perg. II.; Apollon. Citiens. etc. schol. in Hippocr. et Gal. ed. Dietz, 1834, II p. 151.

203) K XV 666 compon. cum Plut. quaest. compot. VI 3 c. II § 10 = Plut. Moral. ed. Didot. II p. 839, 41 sqq.; ib. VII 1 c. I § 8 = ib. p. 850, 36 sqq.

204) Octav. Horatian. rer. medic. ad Euseb. fil. lib. IV, Argentorati 1532, p. 102 D inf. seu Theodor. Priscian. lib. IV ad Euseb. fil. de phys. scient. in Med. antiq. omn. q. Lat. litt. . . . , Venetiis 1547, p. 315 B: cf. dissert. p. 19.

205) K II 63.

206) K II 75; III 316.

207) K II 104.

208) K II 106; 109; 111; 64; 76; 157; 94; VII 538.

209) K II 104.

210) K XI 238.

211) K V 548 sqq.

212) K I 109; II 77; 624; V 166; 206.

volae infra venam cavam claudunt, ne quid deorsum fluat, supra arteriam pulmonalem aperiunt, ut sanguis in pulmones perveniat: corde distento valvolae infra venam cavam aperiunt, ut sanguis intret, supra arteriam pulmonalem claudunt, ne quid refluat, ut si canaliculis usus aquam in excipulum infuderis.<sup>213)</sup> Ergo παρεγχυμάτων, quem ad modum loquebatur, pulmo solus ipso corde nutritur.<sup>214)</sup> Ramuli autem venae cavae in iecur et in vesicam fellis et in renes pertinent: in iecinore enim canaliculi bilem ferentes et qui a vena cava proficiscuntur coēunt; quo simul ac sanguis ex ventre pervenit phlegmate admixto sordidus<sup>215)</sup>, illi bilem, hi sanguinem immunitiis nunc liberatum recipiunt<sup>216)</sup>, quia venae vasis biliosis multo sunt maiores<sup>217)</sup>, itaque sanguis tenacior et glutinosior in ora ampliora, bilis flava liquidior et tenuior in angustiora se effundit.<sup>217)</sup> Similiter ac bilis in iecore in renibus urina secernitur<sup>218)</sup>, qua de re diligentius exponere noluit.<sup>219)</sup> Haec sunt quaecunque ex reliquiis Erasistrati possunt recuperari de sanguinis circuitu. Quibus expositis hoc manifestum est Erasistratum, si modo arteriarum naturam perspexisset, proxime ad sanguinis circuitum declarandum accessurum fuisse, nunc autem, cum venis tantummodo uti elicuerit in sanguine et affluente et defluente describendo, proximo eius, Harveio<sup>220)</sup>, palma praemiumque oblata sunt. Iam duo reliqua sunt, quae huic potissimum capiti subiungenda esse quilibet concedet, scilicet ut de passionibus instrumentorum sanguinis dicamus et de venae sectione. Cardiaca primum passio, de qua Erasistratus in libris de ventre inscriptis latius egisse videtur<sup>221)</sup>, dupli natura est: altera propriae significationis cor ipsum spectare videtur<sup>221 222)</sup>, altera communis significationis ,substantiam in stomacho atque ore ventris<sup>4</sup> habet<sup>221)</sup>, cuius morbi accidens febriculam

213) K III 465; Apollon. Ctiens. etc. schol. in Hippocr. et Gal. ed. Dietz, 1834, II p. 151.

214) K II 77.

215) K V 140.

216) K II 93 sqq.

217) K II 78; ea, quae ad bilem pertinent, invenies in not. 270 sqq.

218) K II 73.

219) K III 304.

220) De motu cordis et sanguinis 1628; de circulatione sanguinis ad Riolanum 1649 et 1650.

221) Ca II 30 = CA p. 145 sq.

222) Ib. II 34 = CA p. 154.

esse docebat Apollophane teste.<sup>223)</sup> De remediosis autem nihil traditum est. Plura deinceps de curandi ratione et apud veteres et medii aevi medicos gravissima<sup>224)</sup> addi licet, de venae sectione ( $\varphi\lambda\varepsilon\beta\sigma\tau\omega\mu\iota\alpha$ ). Namque Galenus cum totum  $\pi\varepsilon\varrho\iota\varphi\lambda\varepsilon\beta\sigma\tau\omega\mu\iota\alpha\varsigma$   $\pi\varepsilon\varrho\o\varsigma$   $'E\varrho\alpha\sigma\iota\sigma\tau\varrho\alpha\tau\sigma$  librum composuit<sup>225)</sup>, tum variis locis in Erasistratum invectus est<sup>226)</sup>), cum eum non mediocri rabie affectum esse diceret et  $\alpha\iota\mu\o\varphi\o\beta\o\sigma$  appellaret<sup>227)</sup>), tamquam si rabiosi canis simillimus fuerit. Et re vera abstinebat ea<sup>227)</sup>), imprimis in morbis hisce: in plethora<sup>228)</sup> et comitibus eius quales sunt vehemens lassitudo<sup>229)</sup>, haemorrhoides<sup>230)</sup>, sanguinis sputus<sup>231)</sup>, angina<sup>232)</sup>, podagra<sup>233)</sup>, ventris morbi<sup>234)</sup>, debilitas membrorum<sup>235)</sup>; in menstruae purgationis retentione<sup>236)</sup>, peripneumonia.<sup>237)</sup> Et profecto mirus et insanus ei videri potuit qui causas varias huius rationis investigare aut non conatus est aut noluit: nobis, quamvis paucae adhuc reperiantur, contrarium videbitur. An venas secantes sitim sanguinis caedemque — liceat adversariis quod Galeno licuit — inter homines quasi lege sanxisse negabis? Sed Erasistratus gravioribus causis ut venae sectionem reiceret adductus est: putabat ni mirum spiritum partim in vasa sanguinis vacua replendi causa incidere, partim una cum sanguine excludi<sup>238)</sup> atque ita aegrotos nimis debilitari<sup>239)</sup>; viribus autem quam maximis eis opus esse sciebat, ut inedias et constrictiones perferrent, quas cum plurimi aestimaret huius modi in morbis aptas esse confidebat.<sup>240)</sup> Nec tamen prorsus contempsisse

223) Ib. II 33 = CA p. 151.

224) Bauer, *Gesch. der Aderlässe*, Monaci 1870.

225) K I 411; VI 296; X 616; XIX 30; 37.

226) K V 714; X 627; XI 149.

227) K VI 295; X 377; 616; 619; 627; XI 147; 150; XI 157; 191 sq.; 197; 199; 214 sqq.; 228; 245 sqq.; XIX 14.

228) K XI 235.

229) K VI 294.

230) K XI 192; 246.

231) K XI 148 sq.; 232.

232) K XI 192; 200 sq.

233) K XI 192; 245.

234) K XI 192.

235) Ib.; 245; Cc II 1 = CA p. 363.

236) K XI 192; 201 sqq.

237) K XI 192.

238) Cc III 8 = CA p. 478.

239) K XI 175 comp. cum 149 et 233.

240) K XI 202 sq.; X 377; XI 191.

Erasistratum venae sectionem simile veri est; Galenus saltem in libro *περὶ αἵματος ἀναγωγῆς* conscripto semel eius mentionem fieri tradit<sup>241)</sup> ac posteriorum temporum Erasistratei scholae suae parentem ipsum venam secuisse credebant.<sup>242)</sup> Unde Caelius Aurelianus quae de sanguine vena rupta effluente scripsit repetiisse videtur.<sup>243)</sup> Sed de sanguine quidem hac tenus.

Optime natura fert, ut, quotiescumque corpus cibis indiget, animal male se habere incipiat fame oborta. Famis autem duo genera sunt, alterum morbo simile, violenta fames (*βούλημος, βούλημία*), alterum secundum naturam factum, esuritio. Illud vero, cuius causae ignotae Erasistrato fuerunt, frigidore tempestate magis quam cum serenum placidumque est homines urgere solet<sup>244)</sup>, de quo accuratius exposuisse non videtur: hoc *faciunt inanes patientesque intestinorum fibrae et cava intus ventris et stomachi vacua et hiantia*; itaque restinguetur, ubi cibis vacua impleveris vel constrictionebus in ventris regione factis stomachum compressoris.<sup>244)</sup> Qui fit ut Scythae latissimis fasciis impositis famem extinxisse dicerentur.<sup>244)</sup> Bestiae quoque cur torpore hiberno minime vexatae perdurent, eadem causa est.<sup>245)</sup> Ac similiter sitis (*δίψα*) fit, cuius ipsius quoque duo genera sunt, alterum praeter naturam, alterum secundum naturam oboriens. Illud enim, in superficie sitis (*ἡ ἐπιπόλαιος δίψα*), aridis calidisque viis, per quas potus fertur, accidens morbi signum est<sup>246)</sup>, hoc ad bibendum cottidie incitamus. Depelluntur ni mirum fames et sitis cibo potuque, de qua re accuratius egisse Erasistratum Galenus bis affirmavit, cum et Hippocratis *περὶ καταπόσεως* doctrinam<sup>247)</sup> plane omissam et aliorum praecepta ineptis ab eo verbis confutata esse<sup>247) 248)</sup> diceret. Quamquam autem quo modo cibi in ventriculum ferantur non descripsit, tamen potus iter quale esse putarit satis docuit. Vituperato enim primum Platone dicente *potum defluere ad pulmonem eoque satis umectato demanare per eum, quia sit rimosior, et confluere inde in*

241) K XI 148 sqq.; 175; 216.

242) K XI 191; 214; 228 sq.; XIX 14.

243) Cc II 13 = CA p. 415.

244) Gell. noct. Att. XVI 3 sqq.

245) K XI 183 sqq.

246) K XVII, II 198 sq.

247) K II 60.

248) K III 316.

*vesicam*<sup>249)</sup> suam Erasistratus opinionem professus est hanc: altera ait gutturis canalicula — quam oesophagum huius rei periti dicunt — esculenta in stomachum et ventriculum (*ἡ κάτω κοιλία*) deorsum ferri ut digererentur, tum aridiora recrementa in alvom (*κῶλον*), humidiora per renes in vesicam pervenire; uva (*ἐπιγλωττίς*) vero impediri ne quid in asperam arteriam penetret.<sup>250)</sup> Ac praeterea animalia longo collo instructa capite demisso bibere non oblitus est addere.<sup>251)</sup> Quae cum in ventriculum pervenerunt, concoqui incipiunt (*πέψις*), cuius rei rationem Erasistratum satis circumspectasse idem Galenus testis est<sup>252)</sup>; nec tamen causam eius cognitione dignam esse putabat<sup>253)</sup> physici magis quam medici esse hanc quaestionem declarans.<sup>254)</sup> Enim vero in functione ipsa describenda similem concoctionem esse coquendo extra corpus<sup>255)</sup> aut putrescendo<sup>256)</sup> negabat, immo sic eam fieri affirmavit: cibi per stomachum in ventriculum ipsum (*ἡ κάτω κοιλία*) delabuntur<sup>257)</sup>, qui musculis in circuitu positis a lateribus comprimitur ita, ut superioribus partibus contractis quae infra sunt distendantur, quoniam altitudo neque minui neque augeri potest.<sup>258)</sup> Quae *περιστολὴ γαστρὸς* ut ait spiritu extrinsecus attracto adiuvatur<sup>259)</sup>, cum et terendo<sup>260) 261)</sup> et solvendo<sup>261)</sup> et subigendo et digerendo<sup>257)</sup> *ἡ τῆς τροφῆς κατεργασία*<sup>262)</sup> perficiatur (*καταπέττεσθαι, ἐπονεῖσθαι*<sup>263)</sup>); tum digestione facta suci sursum in venas<sup>264)</sup>, ari-

249) Gell. noct. Att. XVII 11; K II 111 sq.; Plut. quaest. compot. VII 1 c. I § 4 = Plut. Moral. ed. Didot. II p. 850, 14 sqq.; Macrob. Saturn. VII 15, 3 sqq.

250) Gell. II.; K XVII, II 198.

251) K II 176.

252) K II 63; 128; III 316; V 714; XVI 38 sq.

253) K II 128.

254) K II 126.

255) K II 166; 168; XV 247.

256) K II 111.

257) Gell. II.

258) K II 170.

259) K II 120; XIX 372 sq.

260) Cels. prooem. = ed. Daremb. p. 4, 17.

261) Sorani qui fertur quaest. medic. in ,aneqd. Graec. et Graecolat. von Dr. Valentin Rose, Berol. 1870, II p. 255 § 61.

262) K II 113; V 123.

263) K II 120; VII 537 sq.

264) K II 157; cf. not. 205 sqq.

diora recrementa in alvom (*κωλον*) veniunt<sup>265)</sup>, postquam bile ex iecore defluente inquinata sunt.<sup>266)</sup> Ex eis autem, quae περὶ διαχωρημάτων vel περιττωμάτων Galeno teste conscripsit<sup>267)</sup>, nihil ad nostram aetatem mansit atque quo modo cibi concoquuntur et suci procreentur inutilem quaestionem esse rebatur.<sup>268)</sup>

Sequeretur iam caput de plethora, potissima passionum causa apud Erasistratum, sed haec quoniam nuperrime seorsum copiose tractavimus<sup>269)</sup>, nunc non repetemus, immo qui haec complere voluerit illa eum adire iubemus. Qua re statim ad iecur, bilem, lienem, intestina nos convertamus.

Iecur (*ἡπαρ*) vesica fellea (*ἡ ἐπὶ τῷ ἡπατι κύστις*) instructum bili secernendae prodest<sup>270)</sup>; pars enim liquidior ciborum digestorum, seu bilis est seu commutatur in bilem, postquam in iecur eiusve vesicam recepta est, sine ulla vi attrahendi<sup>271)</sup> una cum pituita valet ad sanguinem procreandum<sup>270)</sup>, qua re iecur τὴν τοῦ αἷματος ἀρχήν, a qua sanguis proficisceretur, recte appellasse sibi videbatur<sup>272)</sup>, altera pars a iecinore defluens recrementis inquinatis excernitur.<sup>270)</sup> Unde autem bilis proveniat, cibisne quibus vescimur admixta sit an in ventriculo procreetur, nihil ad artem medicam facere opinabatur<sup>273)</sup>, quamquam quomodo secernatur<sup>274)</sup> et cur excludenda sit, accuratissime narravit: scilicet plethora biliosa biliosorum morborum causa est<sup>275)</sup>, quales sunt cum alii tum morbus regius (*ἱκτερος*) et inflammationes.<sup>276)</sup> Atque biliosi primum curandi sunt tepido potu vomitum provocante fellisque acrimoniam minuente, quando dolores existunt, tepidis vaporationibus et cataplasmati ex farina vinoque confectis. Bibantque post vomitus et ventris effusiones vini Lesbi guttas II vel III cum aquae

265) K II 157; Gell. II.

266) Cf. not. 270.

267) K V 143.

268) K XVI 39.

269) Fleckiseni annal. 1892 p. inde a 679.

270) K V 140.

271) K II 93; 187.

272) K V 551 sq.

273) K II 107; 113; 115; 122; V 123; XVI 39.

274) K II 63; III 304; cf. not. 216 et 266.

275) K II 78; 113.

276) K V 123 sqq.

frigidae<sup>277</sup> <sup>278</sup>) cyatho mistas; quoties febres irruunt, etiam minus vini porrigatur; deinde plus paulatim meri dandum<sup>279</sup>); tum utilis est malorum infusio vel decoctio pomorum pirorumve<sup>277</sup>), postremo lavationes et quietes.<sup>277</sup>) Haec quidem de flava bile Erasistratus exposuit, sed quid de atra (*ἡ μέλαινα χολή*)? Nihil fere adhuc mansit veterumque Galenus quod quae maximi sint momenti plane omisit, vehementer eum vituperat.<sup>280</sup>) Verum tamen atram bilem una cum sanguine in venis circumagi, quia proprium eius organum non esset<sup>281</sup>), eum docuisse non ignoramus. Ergo non est cur morbos melancholicos aliter oriri eum affirmasse<sup>282</sup>) miremur. Apte huic explicandi tenori interponi videntur ea, quae de iecoris morbis (*ἡπατικά*) docuit. Ei enim, quotquot plethora procreantur<sup>283</sup>), ipsi quoque, ubi plethoram dilueris, curabuntur, itaque aut nihil aut minimum cibi potusque sumas lotionibusque tepidis utare; exercitationibus autem frigidisque lotionibus abstineas.<sup>283</sup>) Inflammationes vero iecoris facultatem fellis secernendi diremptam consequi solent<sup>284</sup>), quarum propria remedia non edidit. Atque in cenchridis morsu iecur non minus quam vesicam et colum pati morbosis corporibus dissectis patefecit.<sup>285</sup>) Aliud parenchyma<sup>286</sup>) paene omisit, lienem (*σπλήν*); hoc solum dictitabat frustra eum factum esse.<sup>287</sup>) De lienosis (*σπληνικά*) porro, quae ab illis omnino non separasse videtur, eosdem locos conferas. Multo plura exposuit de potissima iecoris lienisque simul passione, de hydrope (*ὑδερος*, *ὑδρωψ*), quam in libro *de hydrope* accuratius descripsit.<sup>288</sup>) Causa est inflammatio diurna illius intestini, qua ita obdurescit (*σκιδός*), ut angustiis venarum fluxus sanguinis impediatur, qui, cum ibi recte confici non possit, aquosus fit refrigeratusque quae

277) Ca III 21 = CA p. 262 sq.

278) K XI 171.

279) Cels. de medic. IV 18 = ed. Daremb. p. 144, 21 sqq.

280) K V 104; 123; 137; 143 sq.; VIII 191.

281) K II 131.

282) K V 132 sq.

283) K XI 240.

284) K V 123.

285) Dioscor. Pedan. apud K XXVI 72.

286) Cf. not. 199.

287) K II 91 sq.; 132; III 315; V 131; quam ob rem verba ab *ἐμποδίζοντα* incipientia (K XIV 746) Galeni esse crediderimus.

288) Cf. dissert. p. 16; laudatur Cc III 8 = CA p. 473; 487.

intestina inter et peritonaeum sunt implet<sup>289)</sup>; iecur autem pati et febris et corporibus morbosis dissectis cognoscitur, quorum iecur saxeum invenitur.<sup>290)</sup> Quam ob rem hydropismo mederi non poterit is, qui punctione (*παρακέντησις*) facta aquam detrahere instituerit, quia non solum alia subinde aqua nascitur<sup>291)</sup>, verum etiam superiores corporis partes post detractionem saepius laborare incipiunt<sup>292)</sup>; immo iecur ipsum sanandum est<sup>291)</sup>, neque tamen vehementer purgantibus, quippe quae febres mortemque<sup>292)</sup> afferant, sed mitibus purgativis qualia sunt cataplasma ex ficu et eis herbis, quae chamelaea et chamaepitys vocabantur, vel ex ruta confecta, clysterium simplex; medicamina (*χαταπότια*), antequam edas, sumpta, quibus aqua cum urina ex corpore ausertur<sup>292)</sup> velut hederae chrysocarpi bacae aureae XX in vini sextario tritae<sup>293)</sup>, lotiones, deambulationes ante solem ardescensem occidentemque, perunctiones in lecto faciendae, frictionum certus numerus. Atque tumor in iecinore constitutus cataplasmatis sanatur ex malis vinoque compositis, quae noctu potissimum praepares.<sup>292)</sup> Multique cibi edantur, ne forte cruditas oriatur, scilicet panes ex farina sesami facti salvi obdulcati contra sitim<sup>294)</sup>, pisces, gallinae, ferae, agni, haedi, sorbilia melle lacteque condita, aridae ficus pingues II vel III contusae oleoque tinctae<sup>295)</sup>; denique ut a Chrysippo ita ab Erasistrato patientes in doliis inclusos defumigatos esse (sudatio sicca seu dolliare vaporarium, ἵ διὰ τοῦ πιθοῦ πυρία) Galenus suspicatus est.<sup>296)</sup> De intestinis haec repperimus: *χορδαψὸς*, quem Diocles Carystius dicebat, tenuioris intestini morbus est, in quo, si infra umbilicum esset, alvom duci iussit.<sup>297)</sup> Atque altera passio ileus est, cui clystere ex nitro saleque confecto, acri collyrio injecto, inedia usque ad morbi declinationem medeare; praeterea mulsum tepidum sorbilemque ptisanae sucum porrigas; cataplasma etiam

289) K II 109; XVI 447; Cels. de medic. III 21 = ed. Daremb. p. 109, 7 sqq.; Cc III 8 = CA p. 479; 488; cf. tamen K XIV 746.

290) Cc II. = CA II. et 473.

291) Cels. II.

292) Cc III 8 = CA p. 478 sqq.; K XVIII, I 39.

293) Plin. hist. nat. XXIV 47, 3.

294) Cf. quae in Fleckeiseni annal. 1892 p. 690 not. 11 exposuimus.

295) Cf. dissert. p. 31. — K XI 238 *pepones* memorantur, quos in ,pingues‘ videtur mutasse Caelius (Cc III 8 = CA p. 488).

296) K IV 495.

297) Cels. de med. IV 20 = ed. Daremb. p. 146, 19 sq.

conducunt imprimis ἡ ὠμὴ λύσις ex myrto, viño, ficu, chamelaea mixta; hac enim Heraclides Tarentinus utebatur aliis medicamentis additis ac Serapio simillima commendabat.<sup>298)</sup>

Membra genitalia (*αἰδοῖα*) duplēm utilitatem habent urinam secernendi et prolem propagandi. Itaque in priore parte de urina, renibus, vesica, urinali fistula, morbis urinae naturam commutantibus velut passionibus renum, vesicae, calculis, urinae retentione deinceps agendum erit, in posteriore parte de ulceribus similibusque in pudendis ortis et de mulierum functionibus ad procreandum necessariis quales sunt menstruae purgationes, coitus, conceptiones, graviditas, partus, et de passionibus ab his organis profectis. Urina (*οὐρον*) — ut a capite rem aggrediamur — ex sorilibus fit, nam quo plura biberemus eo ampliorem copiam urinae esse dixit<sup>299)</sup> et qui hieme multum assidens vinum leve et facile ad concoquendū potaret, eum idem fere quod bibisset mingere in generalibus quaestionibus commemoravit.<sup>300)</sup> Organum autem, quo urina procreat, renes (*νεφροί*) sunt<sup>301)</sup>, quorum facultates indicavit potius quam explicavit.<sup>302)</sup> Verum si id, quod consequens fuit, Erasistratum statuisse ponamus, τὴν πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίαν solam urinae secernendae causam ei visam esse putare nobis licet, qua in re aut fallimur aut Galeni loco quodam<sup>303)</sup> magno opere adiuvamur; quod si non ita se haberet, Galenum de facultate attrahendi renibus abrogata nihil addidisse<sup>304)</sup> simile veri est; praetererea autem nihil aliud de renibus statuit nisi arterias huc ducentes inutiles esse.<sup>305)</sup> Unde in vesicam (*κύστις*) urina fertur eadem ratione, qua sanguis quoquo versus mittitur et flava bilis excernitur<sup>306)</sup> i. e. τῇ πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίᾳ<sup>307)</sup>; postremo per

298) CA III 17 = CA p. 244 sqq.

299) K XI 240.

300) K II 70.

301) K II 30; 60; 63 sq.; 131.

302) K II 63 sq.; 111; 187; III 304.

303) K II 77 sq. Quae Galenus ib. 64 exposuit nihil sunt, quoniam ad τὴν πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίαν, quae est secundum naturam, aliae praeter naturam causae accedere possunt, quas tamen enumerari in generalibus legibus statuendis minime opus est. — Halitus modo urinam secerni idem negavit 111.

304) K II 187.

305) K II 91; παρέγχυμα renes esse not. 199 probavimus.

306) K II 74.

307) K II 77.

fistulam urinalem redditur. Atque morbi urinales existunt, si urina aut omnino non aut cum doloribus excluditur aut eius natura commutatur. Scilicet primus morbus, suppressio urinae (*ἰσχονρία*), compluribus causis oritur, quarum unam ab Erasistrato perstrictam esse apud Galenum<sup>308)</sup> legimus; vesica enim nimis distenta iter urinae adeo impeditur, ut naturam te adiuvare opus sit, cum aegro genibus inniso urinalem fistulam summam aphronitro attingas.<sup>308)</sup> Sed cum peritonaeum paralysi vitiatum est, cathetere (*καθετήρ*) utendum est simillimo S litterae Romanae.<sup>309)</sup> Cum doloribus vero urina redditur calculis (*λιθος*) admixtis, quo soncho albo una cum urina ex corpore educes.<sup>310)</sup> Atque invertitur natura urinae febribus, quibus pus (*πυνθ*) procreatur<sup>311)</sup> inflammations totius itineris adducens.<sup>312)</sup> Maximi autem periculi indicia nigrae in febribus urinae sunt<sup>313)</sup>, quod ex superiorum medicorum scriptis Erasistratum cognovisse Galenus testimonio confirmavit.<sup>314)</sup> Renum passiones plethora adductas qui curare voluerit paucos cibos sumat et lotionibus quam plurimis utatur et exercitationibus corpus reficiat neve plus quam opus est bibat, ne urina densiore facta hi loci sacientur.<sup>312)</sup> Ex vesica denique eos laborare, qui cenchride morsi sunt, corporum aperitionibus docuit.<sup>315)</sup> De membra virilis natura in fragmentis Erasistrateis nihil fere legitur; unum scire nobis licet: seminalibus arteriis spiritum solum testibus afferri<sup>316)</sup>; nec de harum partium passionibus quicquam notum est nisi nomas ulceraque in pudendis et virorum et mulierum orta panchresto quod dicitur esse sananda.<sup>317)</sup> Ac ne ea quidem, quae de muliebribus partibus Erasistratus videtur exposuisse, adhuc servantur praeter fragmenta hic illic in posteriorum medicorum scriptis interposita. Ex quibus unum, quantum

308) K I 168.

309) Cc II 1 = CA p. 347; K XIV 750 sq.

310) Plin. hist. nat. XXII 44, 1.

311) K XV 158.

312) K XI 240.

313) K V 138.

314) K V 140.

315) Dioscorid. Pedan. apud K XXVI 72.

316) Unde haec Andreas Vesalius Bruxellensis (de human. corp. fabrica, Basil., p. 526) desumpserit ignoramus, quoniam in eis quibus nos utimur libris non inest. Nihilo minus certi testimonii loco illud posuimus propterea, quod eum quae nesciverit effinxisse minime probabile est.

317) Cf. not. 2 sqq.

fieri potest, efficere conabimur. Caput autem rei est naturam passionum mulierum, quamvis membra genitalia a virorum propter peculiarem elementorum compositionem valde abhorreant<sup>318)</sup>, tamen simillimam esse ac virorum<sup>319)</sup>, a qua sententia non nulli Erasistratei postea desciverunt velut Athenaeus.<sup>319)</sup> Proprium autem mulierum est menstrua purgatio ( $\eta$  [ $\epsilon\mu\mu\eta\nu\sigma$ ]  $\kappa\alpha\theta\alpha\sigma\iota\epsilon$ <sup>320</sup>),  $\eta$   $\tau\omega\nu$   $\kappa\alpha\tau\alpha\mu\eta\ni\omega\nu$   $\epsilon\kappa\kappa\varrho\iota\sigma\iota\epsilon$ <sup>321</sup>), quam alii evacuationem ( $\kappa\epsilon\nu\omega\sigma\iota\epsilon$ )<sup>321</sup>) male vocabant. Est enim secretio per uterum facta<sup>322</sup>), post quam mulier coitum ( $\sigma\nu\nu\nu\sigma\iota\alpha$ )<sup>323</sup>) perpessa facillime concipit ( $\sigma\nu\lambda\lambda\mu\beta\acute{a}n\epsilon\iota\nu$ ).<sup>323</sup>) Hoc potissimum tempore et in hominibus et in bestiis superfetationes ( $\epsilon\pi\iota\sigma\acute{u}\lambda\lambda\eta\psi\iota\zeta$ ) fieri solent, quibus gemini vel trigemini procreantur<sup>324</sup>); si vero frequentius cois, uterus callosus et carnosus et angustus et minutus fit itaque inutilis ad pariendum.<sup>323</sup> <sup>324</sup>) Qua in re illustranda describere oblitus est, quo modo semen maris, quod secundum Herophilum Erasistratumque sanguis est<sup>325</sup>), in uterum recipiatur, cum, quo modo non recipiatur, diceret videlicet facultate attrahendi.<sup>326</sup>) Ac ne hoc quidem, quo modo fetus ( $\epsilon\mu\beta\varrho\nu\o\varrho$ )<sup>327</sup>) in utero a natura fingatur neque unde et arteriae et venae et nervi eius conformentur docuit<sup>327</sup>); de arte obstetricia autem unum scimus: in gravissimis puerperiis eum aeneo spiculo ( $\epsilon\mu\beta\varrho\nu\o\sigma\varphi\acute{a}\kappa\tau\eta\zeta$ ) vivente infante necato matrem servasse<sup>328</sup>); sat facile enim obliquati infantis membra, cum ex utero edi nequeat, cultello in anulo posito intus caesa unco extra-

318) Soran. de mulier. pass. II 4 = ed. Valent. Rose p. 301.

319) Ib. II 2 = ll. p. 299 sqq.

320) K V 137 sqq.

321) K V 137.

322) K V 139.

323) Plut. de plac. philos. V 9 § 3 = Mor. ed. Didot. II p. 1107, 8 sqq. et Dielesi doxogr. Graec., Berol. 1879, p. 421 et 424, 8 ( $\sigma\alpha\varrho\kappa\omega\sigma\iota\epsilon$  pro  $\sigma\alpha\varrho\kappa\omega\delta\eta\zeta$ ).

324) Ib. V 10 § 3 = ll. 1107, 17 sqq. et Dieles. ll. p. 422; K XIX 326.

325) Octav. Horatian. rer. medic. ad Euseb. fil. lib. IV, Argent. 1532, p. 102 D seu Theodor. Priscian. lib. IV ad Euseb. fil. de phys. scient. in Medic. antiq. omn. q. Lat. litt. . . . , Venet. 1547, p. 315 B.

326) K II 187.

327) K V 553.

328) Tertull. de anima c. 25 = patrolog. curs. compl. accur. I.-P. Migne II p. 692, quod perbene nuperime vertit Harnackius in libro *Texte und Untersuchungen zur altchristl. Litt. von Gebhardt u. Harnack* VIII (Lips. 1892) p. 82 sq.

huntur.<sup>328)</sup> Passionum deinceps muliebrium unam Erasistratum diligentius descriptsisse Galenus tradit, menstruae purgationis suppressionem (*ἡ τῶν ἐμμήνων καθάρσεων ἐπίσχεσις*). Quod quo clarius a discipulis perspiceretur, duobus exemplis illustravit, muliercula, quam hunc in morbum incidisse ex atra eius urina cognitum est<sup>329)</sup> et notissima illa antiquis temporibus virgine Chia (*ἡ ἐξ Χίον παιδίσκη*).<sup>330)</sup> Ea enim cum per quoddam temporis spatium non purgaretur, tussibus et pituita affecta mox sanguinis sputo vexabatur, quod purgationis fere tempore aut per IV aut per II menses evomebatur; quoties autem eisdem quibus purgatio fieri debebat diebus sputum factum est, per III vel IV dies durabat, ita ut menstruus fluxus uteri loco ex ore efferri videretur; febris quoque exoriebatur tum, cum ad pulmonem sanguis ferebatur. Qua de causa potionibus, fomentis uteri, cataplasmati usus cibos quam maxime fieri potuit minuit, febris autem diuturnis uteroque durescenti gravitatique in lumbis exortae paucis cibis porrectis purgantibus remediis conatus est mederi. Haec sunt, quae novisse per temporum invidiam licet.

Quibus expositis restant ea, quae in reliquis suum locum non habent, itaque haec tam dispersa, ut quo quidque quondam loco fuerit ignoretur, congeremus hanc viam secuturi, ut primum, ubi singula cohaerent, morbum, deinde, quoniam alia disponendi ratio non est, litterarum ordinem spectemus. Ac primum catarrhum descriptum fuisse in salutarium praceptorum libro II Caelius ille Aurelianus tradit, qui eum ait meracum potum aegrotis dedisse, pileum vini calidi infusione inflatum capiti imposuisse, latera et praecordia lanis vino et oleo calido madefactis constrinxisse.<sup>331)</sup> De venenosis (*Θηριόδηκτα*) autem in libro *περὶ δυνάμεων καὶ θανασίμων* latissime videtur egisse, cuius frustula Dioscoridi Pedanio debemus haec: morsum basilisci, quem colore volneris subflavo cognosces<sup>332)</sup>, cures castorii drachma cum vino pota<sup>333)</sup>; anguis avium cerebello, crambes domesticae semine, quorum utrumque una cum vino bibatur, vel vinum absorbeas, quo postquam

329) K V 138.

330) K XI 193 sqq., imprimis 200 sqq., ex priore libro *τῶν διαιρέσεων* desumpta.

331) Morb. chron. II 7 = CA p. 385 sq.

332) K XXVI 74.

333) K XXVI 90 sq.

in picem liquidam immersisti digitum laveris<sup>334)</sup>; a cenchride morsos ex iecore et vesica et colo laborare aperitionibus factis cognoscitur<sup>335)</sup>; ad canis morsum bulbi ex aceto et sulfure cum melle illiti faciunt.<sup>336)</sup> Auris sensum sicut narium et oculorum et linguae ab ipso cerebro proficisci Erasistratum suis primum corporum sectionibus comprobasse supra adnotatum est<sup>337)</sup> et de medicamento illo, quod *πάγχρηστος* nuncupabatur, quod omnibus fere in morbis aurium, narium, oculorum, uvae tonsillarumque inflammationibus maxime utile est, quaecunque exstant iam congesta sunt.<sup>338)</sup> Quibus nihil habemus quod addamus nisi Erasistratum aurium oculorumque passiones certo temporis spatio redire ignorasse.<sup>339)</sup> Quae praeterea recuperari possunt hic illic forte fortuna commemorata sunt haec: de alopecia eum quaevisse Caelius tradit.<sup>340)</sup> Dentium dolores sanatus hederae chrysocarpi acinos V in rosaceo oleo tritos calefaciat et in cortice punici instillatos in contrariam aurem immittat.<sup>341)</sup> Graveolentiae oris soncho albo commanducato facile medeare.<sup>342)</sup> Insaniae causam quaestione de humoribus neglecta non invenit.<sup>343)</sup> Lethargiae nec causam cognitam habuit nec medicamenta repperit.<sup>344)</sup>

Haec sunt, quae de Erasistrati praeceptis ex veterum et Graecorum et Romanorum scriptis praeter ea, quae antea emisimus, certis tantum locis usi excutere potuimus. Tametsi absolvisse nos

334) K XXVI 87.

335) K XXVI 72.

336) Plin. hist. nat. XX 40, 1.

337) Cf. not. 108 sqq.

338) Cf. not. 2 sqq.

339) K XIX 184 sq.; nam de *στρυμάργον* quoque lemmate diximus in dissert. p. 7.

340) In libr. V morb. chron. praefat. 3 = CA p. 268.

341) Plin. hist. nat. XXIV 47, 3. — De dentiduco cf. dissert. p. 13.

342) Ib. XXII 44, 1.

343) K V 132 sq.

344) K V 125; Ca II 6 = CA p. 84. — Ceterum et haec et alia eiusdem generis falsa esse, cum occasio feret, comprobabimus. Ex fragmentis enim ineditis cod. suppl. Graec. Par. 636, quae collegimus, contrarium cognoscimus; ibi videlicet haec exhibentur (pag. 23 v°, v. 14 sqq.):

*ληθάργον αἰτία: οὐε. ιδ.*

*'Ερασίστρατος μὲν κατὰ τὸ ἀκέλουθον αὐτοῦ φῆσι γίνεσθαι τὸν ληθάργον κατά τι πάθος τῶν περὶ τὴν (τὸν cod., ut saepius in medicis) μήνιγγα ψυχικᾶν δυνάμεων, ἀφ' ὃν δὴ γίνεσθαι τὸν ληθαργόν.*

hanc quaestionem adeo non confidimus, ut fundamento quodam iacto dubia quoque, quae Erasistrati nomine non circumferuntur, cum otium, vires, studiorum varietas permittent, nos congesuros esse policeamur. Neque erat consilium aedificium illud memorabile idemque summo studio exstructum denuo exstruere, sed saxis, tignis, trabibus fundamentum renovare, quo multa adhuc latere in librorum memoria ostendentes socios nobis iucundi laboris compararemus. Tum demum schola quoque illa Erasistratea bono cum fructu ut tractetur fore speramus, cum collecta eius parentis praecpta omnia descripta erunt.

Dresdae.

ROBERT FUCHS.

## DIE LEX HADRIANA DE RUDIBUS AGRIS. EINE NEUE URKUNDE AUS DEN AFRIKANISCHEN SALTUS.

Seit der Entdeckung des die *coloni* des *Saltus Burunitanus* betreffenden Actenstücks<sup>1)</sup> auf Stein sind neue auf die Verwaltung der kaiserlichen Domänen bezügliche Documente gefunden worden. CIL VIII 14428 (Suppl. I) stehen jetzt drei Fragmente eines in Anlage und Inhalt dem burunitanischen ähnlichen Documents ebenfalls aus der Regierung des Commodus (auf Fragment A sind die Consuln des Jahres 181 genannt).<sup>2)</sup> Das 1. Fragment enthält zunächst eine Bittschrift der bedrückten Colonen an den Kaiser, dann das kaiserliche Rescript vom Jahre 181<sup>3)</sup>, zu dritt den Bericht des

1) Behandelt von Mommsen in dieser Zeitschrift XV (1880) p. 385 sq.

2) [imp. Caes. L. Aurelio Commodo III et L. A]ntistio Burro cos.

3) Schluss der Bittschrift und das kaiserliche Rescript:

10	. . . . .	ro]gamus, domine, per salutem tuam succurr[a]s nobis et . .
11	. . . . .	procuratores operas curabu]nt aratorias IIII sartorias IIII messicias IIII et CVII/ . .
12	. . . . .	arido]ram fructum et tabernae quae semper publicis usibus[ . .
13	. . . . .	frum]enti de commune re m. C singu los modios praesta[re. debetis C. Seio
14	. . . . .	] totidem praestare debetis Cae cilio Marti[a]li . . ,
15	imp. Caes. L. Aurelio Commodo III. et L. A]ntistio Burro cos;	item exem [plum epistulae procuratoris e. v. tract. Karthag. . ] I / si et secundum iussu tuo cont[ra conductorem . .

In Zeile 11 wird zu ergänzen sein [procuratores operas curabu] nach Col. IV 6 des burunit. Decrets. Die vom Herausgeber gegebene Ergänzung

Verlag der Weidmannschen Buchhandlung in Berlin.

# Aegyptische Urkunden

aus den  
Königlichen Museen  
zu Berlin.

Herausgegeben von der Generalverwaltung.

## Griechische Urkunden.

4<sup>o</sup>. Heft I-X, à 2,40 Mark.

Die Generalverwaltung der Königl. Preuss. Museen zu Berlin unternimmt es, ihren reichen Bestand an Papyri zu veröffentlichen. Der Anfang wird gemacht mit den griechischen Urkunden. Das Verdienst dieses Entschlusses kann nicht leicht zu hoch angeschlagen werden, wird aber noch vergrössert durch die Art, wie er zur Ausführung gelangt; anders als die meisten Schwesternunternehmungen begnügt sich diese Publikation damit, der Allgemeinheit das zu bieten, was sie braucht, nämlich den Text der Urkunden; auf sachliche Durcharbeitung ist im Interesse der raschen Publikation verzichtet, und dieser Verzicht heischt die freudigste Anerkennung.  
(Berliner Philolog. Wochenschrift.)

# Arati Phaeomena

recensuit et Fontium Testimoniorumque Notis Prolegomenis  
Indicibus instruxit

Ernestus Maass,

Professor Gryphiensis.

Adjecta est vetusta caeli tabula Basileensis.

gr. 8<sup>o</sup>. (XXXVI u. 99 S.) Preis 5 Mark.

Aratus ed Maass enthält einen auf die besten Zeugen, d. h.: 1. unvergliche Handschriften, besonders den alten Marcianus. 2. die lateinischen Uebersetzer resp. Bearbeiter, 3. die vielen alten Citate des Attalus und Hipparchus (s. II a. Chr.) u. s. w. aufgebauten Text mit kritischem Apparat. Dazu sind die fontes Arati et testimonia ebenfalls unter dem Text genau angegeben. Ein vollständiger Wortindex beschliesst den Band. Die Prolegomina geben über die kritische Grundlage und Grundsätze des Herausgebers Aufschluss. Eine kurze Textgeschichte des Aratus ist mitgegeben. Ausführlich war hier in den Aratea des Verfassers vorgearbeitet.

Mehr als 950 Bildertafeln und Kartenbeilagen.

# MEYERS

17,500 Seiten Text.

272 Hefte

zu je 50 Pf.

17 Bände

zu je 8 Mk.

= Soeben erscheint =

in fünfter, neubearbeiteter und vermehrter Auflage:

# KONVERSATIONS-

17 Bände

in Halbfranz

gebunden

zu je 10 Mk.

152 Chromatafeln.

Probehefte und Prospekte gratis durch jede  
Buchhandlung.

Verlag des Bibliographischen Instituts, Leipzig.

Ungefähr 10,000 Abbildungen, Karten und Pläne.

# LEXIKON

## INHALT.

	Seite
R. HELM, über die Lebenszeit der Ärzte Nikias, Erasistratos, Metrodor und Chrysipp . . . . .	161
R. FUCHS, <i>de Erasistrato capita selecta</i> . . . . .	171
A. SCHULTEN, die lex Hadriana de rudibus agris, eine neue Urkunde aus den afrikanischen Saltus . . . . .	204
R. REITZENSTEIN, zu den Pausanias-Scholien . . . . .	231
U. von WILAMOWITZ-MOELLENDORFF, Pausanias-Scholien . . . . .	240
B. KEIL, eine halikarnassische Inschrift . . . . .	249
P. STENGEL, <i>Πέλανος</i> . . . . .	281
E. NORDEN, <i>de rhetorico quodam dicendi genere</i> . . . . .	290
H. BLUEMNER, zu Apuleius Metamorphosen . . . . .	294
E. NORDEN, zur Nekyia Vergils . . . . .	313


## MISCELLEN.

H. ZIMMER, eine überflüssige Conjectur im Ausonius . . . . .	317
B. KEIL, <i>Palaeographicum</i> . . . . .	320

Jährlich erscheint ein Band von vier Heften zum Preise  
von 14 M.

Für die Redaktion verantwortlich: Professor Dr. C. Robert in Halle a. S., für die Anzeigen  
des Umschlags: die Weidmannsche Buchhandlung.

Umschlagdruck von W. Pormetter in Berlin.



COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the rules of the Library or by special arrangement with the Librarian in charge.

R135

F95

Fuchs

De Erasistrato capita selecta.

R135

F95

